

le peccati, tanquam probabilior, a Thomistis eligatur; non ita tamen ab illis traditur, ut ex promotione ad actus naturales, vel ad materiale peccati, pendeat veritas illa cardinalis de Gratia per se efficaci, ad actus supernaturales, & meritorios salutis, necessaria. Generalem quippe prædeterminationem admittunt duntaxat Thomistæ, ut probabilem secundum rationem naturalem, & non ut necessario cum fide Catholica connexam. Gratiam vero per se efficacem tenent, ut conclusionem Theologicam, ab Augustino, & Aquinate clarissime traditam, & post articulos fidei, omni exceptione majorem, in proxima, ac veluti ultima dispositione definibilem. Unde etiam si nulla ad actus mere naturales, & morales physica prædeterminatio admittitur, eam tamen in ordine supernaturali, ad recte, christianeque vivendum admittendam, contendimus, generalemque promotionem ideo solum adstruimus, ut per eam ad gratiam per se efficacem uberius, fortiusque stabilendam, viam muniamus; ad eamque propagandam serviat etiam Philosophia. Quare gratia per se efficaci assercionem unice quarimus, unice intendimus. Unde ut optime Alvarez lib. 3. De Auxiliis, disp. 24. observat, Thomistarum nonnulli Deum promovere ad actum peccati, etiam ut actus est, inficiati sunt, quamvis ad unum omnes Gratia victricis, & per se efficaci omnipotentissimam potentiam, a prævisione Scientiæ-Mediæ independentem, constantissime asseverent. Et de illa processit olim coram Clemente VIII. & durat adhuc, Patres Societatis inter, & Dominicanos, disputatio. Hæc observare operæ pretium in hujus Dissertationis coronide duxi, quia quamplurimos adverti adversarios, hac arte Thomistica de gratia sententiæ invidiam accersere, quod nostra sententia Deum malorum actuum faciat præmotorem. Sed, ut dixi, de præmovere generali non est principalis, sed tantum accessoria disputatio.

Hinc in prægravi illa de Divinis Auxiliis tractatione, quæ integrum ferme decennium Romæ tenuit, nullo unquam tot habiturum disputatorum themate, a Summis Pontificibus propositum video: Quo pacto Deus ad peccati actum concurrat? Haud alia certe de causa, quam quod nihil id ad controversiam de Divinis Auxiliis, illorumque efficacia, pertineret. Immo, ubi gratia se ipsa victrix, intimaque sui natura efficax in questionem venit sub Paulo V. disputationis argumentum his verbis indictum, video: An Deus sua efficaci gratia moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solum interiori suadendo, invitando, excitando, aut alter moraliter attrahendo; sed etiam vere, & active proprie, salva tamen humana libertate? Et an talis efficax gratia convenienter ab aliquibus Scholasticis physice prædeterminare dicatur? Unde colligere est, in eo fœtisse controversiæ summam: Num gratia ex sese, & ex ipsa sui natura, esset efficax; seu num vere, active, proprie voluntatem moveret ad pietatis actus; nec nudis suasionibus, invitationibus, excitationibus assensum eliceret? Alterum vero de physica prædeterminationis vocabulo, ad gratia se ipsa victricis, & efficaci energiam exprimentam, usurpando, accessione tantum, ac veluti de mera questione nominis (modo res ipsa foret in tuto) tractatum esse. Et quidem non paucos invenias Theologos primæ notæ, Gratia se ipsa victricis defensorum acerriimos, Gratiaque congrua, ac Scientiæ-Mediæ debellatores, qui a physice prædeterminationibus procul absint, intinamque Divinae Gratia efficaciam in una duntaxat victrici dele-

statione positam velint, quæ voluntatis assensum, suapte natura inclinabilem, & insuperabilem operetur; nulla licet accedente physica qualitate, quam Thomistarum vulgus agnoscit.

Annun igitur ludis operam, Eleutheri, qui gratiam se ipsa victricem, ad singulos pietatis actus necessariam, Dominicanorum auctoritate oppugnaturos, illos tantum Thomisticæ Scholæ Professores in indicem cogis, qui physica, ut putas, prædeterminationi bellum indixerit; atque illos etiam, quod ridendum magis, qui physicas ad pravos actus motiones, uti Divinae Sanctitati injurias, repudiarent? Cum, vel illis ipsis penitus ablegatis, gratia se ipsa victrix perinde stare in tuto. De pravis quippe actibus disputare tuos illos Dominicanos, quos primo in ordine ponis, Joannem Vincentium, Didacum Jangues, Balthasarem Navaretum, Joannem Nicolai, Gonzalem de Albenda, Mondragonem, recitata a te ipso illorum verba plus satis indicant.

Illud tamen non omiserim in præsentia, quotquot ex illis consulere mihi contigit, ut laudatas a te illorum sententias recognoscere, totidem a te pessima fide laudari, ac studiosa adulteratione corrumpi. Quod idem in reliquis recensendis a te factitatum, suspicari licet.

Et quidem Gonzales de Albenda hoc ipso, quem laudas, loco, nimirum l. part. quæst. 19. art. 8. disp. 59. sect. 2. n. 13. adeo non repudiat prædeterminationem ad mali entitatem, ut sceleribus, nec eum esse, ait, expressum sensum Sancti Thomæ, quod illi fidenter affingis; ut contra potius sequentibus conclusionibus oppositum defendat, ac probet. Primo dico: Deus concurret ad actum peccati, in quantum ens, non solum concursu simultaneo, verum etiam concursu prævio, recepto in voluntate nostra. . . . Secundo dico: Deus non concurret cum voluntate nostra ad actum peccati, ut actus est, concursu prævio morali; nempe excitando illam per cogitationem, & affectionem, ut prosequatur tale objectum, seu ut prorumpat in talem actum. . . . Dico tertio: Deus se soto non concurret concursu prævio in voluntatem nostram, promovendo illam physice, seu prædeterminando illam per se, & directe ad actum peccati in particulari, hic, & nunc. . . . Quarto dico: Deus præmoveret voluntatem nostram ad actum peccati, ut actus est, ut motor universalis, per universalem influentiam, non quidem pure positive, sed partim positive, & partim permissive; & non se solo, sed cooperando alicui cause create. . . . Quinto dico: Deus prædefinit, seu prædeterminat actum peccati, in quantum actus est; non quidem pure positive, sed positive simul, & permissive. . . . Sexto dico: Ad perfectionem Divinae providentiæ pertinet ejusmodi prædefinitio actus mali, in quantum actus est.

Balthasar Navaretti verba, abs te laudata ex Tomo 2. controv. 25. sect. 5. conclus. 13., in contrarium plene sensum detorta sunt dolo malo. Quod enim ait, Nec in Scriptura Sacra, nec in Conciliis, vel doctrina Sanctorum Patrum invenitur verbum aliquod de prædeterminatione materialis peccati, non eo tendit, ut eam Thomisticæ Scholæ sententiam, omni Antiquitatis auctoritate destitutam velit; sed potius ut contra Suarezium ostendat, nihil ab eo ex Scripturis, Conciliis, Patribus erui posse, quo eam censuris inurat, quæ verius ex Sacris Litteris evidenti consecutione deducitur. Ille Auctor (Suarez) condemnat sententiam de prædeterminatione materialis peccati, ut absurdam & Divinae bonitati contrariam, repugnantemque definitioni Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum Traditioni. Sed parcendum est Viro, alias modesto, qui, ut effugeret omne commercium Dei cum peccato, excessit in dicta Censura, ex ignorantia principiorum non so-

lum Theologie, verum etiam Philosophiæ, & Metaphysicæ, ut constat ex rationibus, supra positis. Et quidem nec in Sacra Scriptura, nec in Conciliis, vel doctrina sanctorum Patrum invenitur verbum aliquod de prædeterminatione materialis peccati, seu entitatis peccati. Invenitur quidem passim, quod Deus non est causa peccati; quod opus peccati in solum peccatorem refunditur: Caterum si præscindendo entitatem, & materiale peccati a malitia, & privatione, & considerando actum peccati sub præciso conceptu entis, causetur ne, vel non causetur a Deo; in qua obsecro doctrina Sacrae Scripturae, seu Concilii, vel Sanctorum Patrum invenitur determinatum? Unde consulto abstinemus ab aliquibus auctoritatibus Sacrae Scripturae, quæ solent adduci ad probandam dictam prædeterminationem, ut est illud ad Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum. . . . cum dicitur, quod Deus decipit, 3. Reg. 22. & quod declinat semitas hominum a via sua, Psal. 104. Nam in omnibus istis locis, & aliis similibus fit sermo de peccato, secundum quod peccatum est: & consequenter interpretanda sunt de permissione Divina. Igitur ex locis Sacrae Scripturae, & PRINCIPIIS, LUMINE NATURALI COGNITIS, (quæ omnia, ut in superioribus controversiis explicuimus, evidenter ostendunt, quod non datur aliquid esse, non datur aliqua entitas, que non sit a Deo; & similiter ex proprio concursu Dei inspiciente hoc esse, quatenus prius natura est omni gradu causato a creatura,) COLLIGIMUS PER CONSEQUENTIAM, quod entitas, & esse, quæ reperitur etiam in peccato, præscindendo etiam a privatione, causetur a Deo, illo concursu antecedente, & tribuente, virtutem potentis create, ad causandum eundem gradum essentis. Id ergo, quod impossibile huic Auctori apparuit, (Suario scilicet) redditur luce clarius, ex dictis.

Joannes Nicolai, quod nobis objicit loco, nimirum in 2. Sentent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. Nota marg. litt. T. eidem sententiæ hæret quam tenacissime; nec nisi in distam prorfus, atque disjunctam quorundam recentium opinionationem stilum exercet, verbis a te citatis, & a reliquo contextu per fraudem avulsis: Vab male feriatis, qui & potentum illud pro Thomistis jactent! &c. Et integrum Nicolai locum, a te fœde dissimulatum: An ab hoc porro erroris (nimirum, quod sint plura prima principia) expedire se possint, qui actiones positive deformes, aut positive malas esse velint? Nam si male, ut positive, aut si positive, ut male; necesse est, ut aut a Deo malum, aut non a Deo positum aliquid esse, asseratur. Vab male feriatis, qui & potentum illud pro Thomistis jactent! Et ad quintum Argumentum D. Thomæ litt. B. ad illa sancti Doctoris verba: Deus dicitur esse causa illius actionis, in quantum est actio, & non in quantum est deformis, hanc notam appingit: Et rursus, ubi suam deformitatem posteriorem explosam intelligant predicti ejus confectores. Quid enim est hoc, ut quantum deformis est actio, a Deo non sit, ut a causa; & in quantum deformis, positiva sit? Nec Thomista putatur esse, qui hæc monstrata non credit, aut non assentitur fingentibus? o calumniam cæcam! Porro qui recentium Thomistarum aliquos, formalem peccati malitiam non in privatione, sed in positivo constituentes, durius excipit, quod inde consequens esse, putet, ut vel a Deo sit malum, quatione malum est; vel Divinae efficaciæ positivi aliquid ens subtrahatur; is certe principii loco habet, Quidquid positive entitatis est in peccato, id a Deo, uti primo motore, proficisci. At id summa calliditatis tua fuit, postrema ha-

Serry Tom. II.

(1) Part. 2. lib. 9. cap. 13. art. 1.

juste fragmenti verba, quibus peculiarem illam quorundam recentium opinionationem perstrinxit Vir eruditus, a cæteris adjunctis avellere, dolo malo, ut communem Scholæ Thomisticæ de physice ad pravum actum prædeterminationibus opinionem ab eo perstrictam lectores existiment.

CAPUT X.

Thomas Campanella, & Franciscus Avasio perperam Thomistis objecti ab Eluiberio.

Cæteri, a te altero in ordine positi, Scholæ Thomisticæ Professores, quos physicas prædeterminationes, non modo ad pravos actus, verum etiam ad bonos explosisse, putas, haud multo meliori jure vocantur in censum. Atque in primis monstro simillimum est, Thomam Campanellam, celeberrimi Theologi nomine a te, tuisque in præsentia laudari, quem eo indignum titulo non ita pridem irrifitiss: eumque jam, uti germane D. Thomæ mentis interpretum, in eorum ceteris, quem, tanquam professum D. Thomæ adversarium, pessimis adeo modis habuistis. Theophili Raynaudii nota censura in Diatribis De immunitate Cyriacorum, Parig. 57. Tamest visus sit Campanella per aliquod tempus cymbalum mundi, tamen re vera est ignorantissimus; ita ut ne ipsos quidem terminos, sive philosophicos, sive Theologicos, intelligeret. Sententiam autem in verbis, non modo a S. Thomæ, sed etiam a sensu justissimani hominis adeo abhorrentis, ut desipere videatur potius, quam disserere. Hæretes crasse in ejus libris tam multe, & tam inexcusabiles occurrunt, ut mirum sit, adeo pinguem scriptorem superioribus annis invenire potuisse laudatores. Pallavicini, alterius Sodalis tui, de eodem Campanella judicium aliquanto quidem mitius, in Viaticationibus Societatis cap. 27. At illum Doctoris Angelici Doctrinæ professum hostem agnoscit. Thomas Campanella Dominicanus, vir, qui omnia legat, omnia meminerat, prævalidi ingenii, sed indomabilis, quid non ausus est aut contra Aristotelem in Philosophia, aut contra D. Thomam, adeoque Scholasticos universos in Theologia? Et hic tamen, si Superis placet, tanquam D. Thomæ fidus Interpretes, nobis objicit, quod physicas prædeterminationes visus sit impugnasse. Utcumque tamen ipsa rei veritas habeat, duo plane decretoria, Campanella occasione, demonstravi lib. 4. cap. 27. quæ tu tacitus prætereire, quam refellere maluisti. Primum, Campanellam, quibus locis Molinianis adhaerit, palam professum esse, se ab Augustino, Prospero, Hilario, Fulgentio, cæterisque Pelagianæ sectæ debellatoribus abire. Quæ utique denunciatione, in caput suum, ac in ipsos, quos secutus est, Molinianos, sententiam dixit. Secundum, Campanellam ad Molinianos, relicto Augustino, initio dilapsam, dum in Lutheranos scriberet juvenis: ad domesticam tandem castra rediisse senem, dum Metaphysicorum libros in Gallia adornavit. Ubi recensitis, quæ in Dialogo contra Lutheranos scripsisset olim, Omnes scilicet usque ad finem præmoveri ad bonum auxilio generalis, quod ex bono usu efficaci sit; ita subdit: (1.) Quæ in re cum multa medicaror, & S. Brigittæ revelationes legere, lib. 5. Questionum suspendi sententiam, & Divinam expecto illustrationem.

Hæc a me Campanella verba ex integro recitata, ut mutam illi sub vite finem sententiam ostenderem, tu pro ingenito candore succidisti, verbaque duntaxat proxime sequentia lectorum

I 2 occu-

oculis subiecisti, tanquam unicum a me prolatum decantare palinodia argumentum: „ Illud tamen „ inconcusse sustinere, esse in nobis libertatem ad „ volendum, & nolendum; & auxilium, ut en- „ titas addita est, non fieri a nobis efficax; nul- „ lam enim entitatem dare possumus, nisi a primo „ Ente, & cum primo: ergo fieri efficax a „ Deo effective, a nobis vero meritorie tantum, „ ex virtute tamen prioris gratiæ, quam non „ respicimus, sed cooperamur, acti ab ea, sicut „ liberi a parte, non sicut servi a domino: quippe „ qui possumus respicere gratiam, & de facto „ habitam respicimus. Neque enim nos gratia de- „ ferit, nisi deserta, ut probant Concilia San- „ ctorum, (1) & Codices veracissimi. Sine enim „ poenitentia dat illam nobis Deus, ut testatur „ Apostolus. „ Quibus Campanellæ verbis tan- „ tum abesse, ais, ut palinodiam decantaret, ut „ potius Theologorum Societatis sententiam expo- „ fuerit: quippe gratiam adstruit, quam non so- „ lum respicere possumus, sed acceptam aliquando „ respicimus. At quid partem verborum alteram „ dissimulas, Eleutheri, Moliniano systemati fata- „ lem; qua nimirum, *Auxilium non a nobis, sed a „ Deo efficax fieri, inconcusse sustinet*; idque palam „ ejurat, quod, editis contra Lutherum Opusculis, „ propugnaverat, *ex bono usi efficax fieri*? Quidve „ in his temere cavillararis, quæ alterum a Molinia- „ no sensum induunt? Dum enim gratiam adstruit, „ quam re ipsa respicimus aliquando, non actualem „ utique, & efficacem intelligit, sed justificantem „ & habitalem; eam videlicet, cujus ope, ut ait, „ mereri possumus, ut largiatur nobis Deus gra- „ tiam efficacem, quæ ab ipsomet largitore effica- „ ciam obtineat. De gratia quippe justificante, & „ habituali loquitur Synodus Tridentina, a Cam- „ panella in dicti sui probationem adducta, dum „ Deum neminem sua gratia justificatum deserere „ faveat, nisi prius deseratur ab eo: ingentisque „ reineritatis, atque audacia specimen præbes, qui „ eam interpretationem, a me obiter in Historia „ insinuatam, Bajani, ac Janseniani erroris infimula- „ s. Sicine, Cenfor egregie, terram adeo labem „ celeberrimis Theologis affricas, qui non alium „ sacre Synodi verbis sensum inesse, diu ante me „ pronunciantur?

Hos inter eruditionis laude præcipui sunt Bar- „ tholomæus Medina, cujus sunt hæc ipsa verba in „ Commentariis ad 1. partem secundæ partis D. „ Thomæ, quæst. 109. art. 10. in responsione ad „ 3. Argumentum: *Sciendum est, quod, quando di- „ cunt sancti Patres, & approbant Sacra Concilia, „ Deum sua gratia semel justificatum non deserere, „ nisi prius ab eo deseratur, explanatio est de gra- „ tia justificante: nunquam enim gratiam justifican- „ tem auferit ab homine, nisi propter peccatum morta- „ le. Unde Augustinus sic inquit: Prævaricatore[m] „ legis Dei digne lux deserit veritatis. Si autem „ loquamur de subtractione auxilii efficacis, aliquando „ subtrahit illud propter peccatum; unde sequitur, „ quod homo non convertatur: sed non semper causa „ hujus subtractionis est peccatum; sed aliquando sola „ Divina voluntas: quod aperte, & sine circuitione „ testatur D. Augustinus lib. De Correptione, & „ Gratia, cap. 8. & lib. De Dono perseverantia, „ cap. 8. &c.*

Didacus Alvarez lib. 11. De Auxiliis Divinæ „ Gratia, Disp. 110. num. 19. in Responsione ad „ 2. confirmationem octavi Argumenti. „ Respon- „ detur, sensum legitimum Concilii Tridentini „ esse, quod Deus non privat gratia habituali „ semel justificatos, nisi illi prius natura pecca- „ tum mortale committant, per quod deserunt

(1) In Trid. Sess. 6.

Deum, & merentur gratia justificante priva- „ ri. Verumtamen ante illud peccatum mortale, „ per quod homo deserit Deum, intelligitur in „ Deo permisso talis peccati. „ Didacus Nugno in 3. part. D. Thomæ, quæst. „ 62. art. 5. Controversia 2. in Responsione ad 8. „ Ad illa verba, quæ expresse habentur in Con- „ cilio Tridentino, sess. 6. cap. 1. Respondetur, „ intelligenda esse de gratia gratum faciente. Ita- „ que prius natura est, quod homo peccet, quam „ quod deseratur a Deo per gratiam; sua enim „ culpa amittit gratiam. Nihilominus prius na- „ tura est, quod Deus non conferat illi auxilium „ efficac ad perseverandum, & ad custodiendum „ præceptum, quod tunc offertur, quam quod il- „ le peccet.

Guillelmus Estius in 2. Sent. dist. 26. §. 43. „ in Responsione ad 5. „ Nec tamen, si justus de- „ relinquitur a Deo, ut fit in omnibus, qui non „ perseverant, ideo falsum est, quod dicunt Pa- „ tres Concilii, *Deum, sua gratia semel justifica- „ tum, non deserere, nisi ab eo prius deseratur*. „ Hoc enim dictum est de gratia justificante, ut „ ex ipsis verbis patet; atque hunc sensum ha- „ bet: Nunquam Deus gratiam justificantem au- „ fert ab homine, neque amicitiam renunciat, ni- „ si propter peccatum ejus mortale; nam mortale „ peccatum est, quod gratiam expellit, & amici- „ tiam dissolvit. Verum, si loquamur de subtra- „ ctione auxilii efficacis, non semper ejus causa „ est peccatum hominis, Deum deserentis, sed „ aliquando sola Dei voluntas. „ Quibus paria „ scripserat lib. 1. dist. 41. §. 18.

Theologi Salmanticenses, Carmelita strictioris „ Instituti, Tract. 5. de Præd. disp. 8. dab. 2. §. 4. „ Sensus Concilii est, Deum non privare gratia „ habituali semel justificatos, nisi etiam ipsi prius „ natura in aliquo genere cause peccatum morta- „ le committant, propter quod deserunt Deum, „ & propter quod merentur, gratia justificante „ privati, ratione cujus deseruntur a Deo.

Franciscus Sylvius in 1. part. D. Thomæ, „ quæst. 23. art. 5. ad 2. recitatis supra notatis „ Estii verbis ex 1. Sententiarum libro, & indica- „ ta Theologorum Salmanticensium responsione, in „ eandem sententiam venit.

Joannes Paulus Nazarius in 1. part. D. Tho- „ mæ, quæst. 23. art. 3. contr. 3. „ Attenden- „ da est sententia illa D. Augustini in lib. De „ Natura, & Gratia, videlicet Deum nunquam „ deserere homines justificatos, nisi prius desera- „ tur ab illis, quam confirmat sacra Synodus Tri- „ dentina sess. 6. cap. 11. & 13. quæ intelligen- „ da est de gratia justificante; hæc enim nun- „ quam auferit Deus ab homine, nisi propter pec- „ catum mortale. Auxilium autem efficax licet „ nonnunquam Deus subtrahat propter peccatum; „ quandoque tamen illud non confert, ex sola „ sua voluntate, ut ait D. Augustinus in lib. De „ Correp. & Gratia, cap. 8. & lib. De Dono „ perseverantia, cap. 8.

Isdem suffragatur Petrus Ledesma Tractatu de „ Divinis auxiliis, art. 12. in Responsione ad 7. „ cujus verba, utpote proxiora, misa facio.

Hic ego prævisi doctrinæ ducibus, tuas Baji- „ nismi, ac Jansenismi censuras rideo; quæ in me „ tanto audaciori temeritate jacuntur, quanto cer- „ tius est, me quidpiam & Nazario, & Medina „ & Estio, mitius hæc in parte docuisse. Quan- „ quam enim sacre Synodi functionem de deserta- „ ne, quæ gratia justificantis, & habitualis subtra- „ ctione fit, intelligendam, existimem; gratiam ni- „ hilo secius actualem, & efficacem, nulli unquam „ juto

juto subtrahi doceo ex sola Dei voluntate, sed „ prævisio semper hominis culpa; non mortali illa „ quidem, qua Deus proprie ab homine deseri dicitur; (1) (cum repugnet, præcedere mortale „ peccatum ante subtractionem gratiæ efficacis, qua „ permittitur justis incidere in mortale peccatum) „ sed veniali; puta *errore, ignorantia, negligentia, „ vel saltem inadvertentia*, ut loquitur D. Thomas „ quæst. 3. De malo; vel etiam *interiore quadam „ & secreta mentis elatione*, ut sæpe observat S. Au- „ gustinus.

Nec me valde anxium habet citata abs te in „ oppositum *Resolutio Facultatis Theologicæ Lovanien- „ sissis*, die 11. Novembris, anno 1699. data, „ de scriptis perillustri, & eruditi D. Henrici De- „ nis, in Leodiensi Seminario dictatis; quorum sex- „ tum Articulum, Censura inultum, nihil ab hac „ mea sententia discrepare, aut putas, aut fingis. „ Ut enim fiteam, permultos ejusdem strictæ Fac- „ ultatis Professores, alioque Academiæ Magi- „ stros, de violatis in eo ferendo judicio juris for- „ mulis expostulasse die 21. Januarii 1700. egre- „ giumque de Viri perillustri saniori doctrina tes- „ timonium protulisse; immo Coloniensem Acade- „ miam, a Serenissimo Electore, & Archiepiscopo, „ sententiam de iisdem scriptis dicere justam; Pro- „ fessorem eximium absolvisse die 17. Novembris „ 1699. id verius ex adverso contendo, tantum „ abesse, ut hæc in sextum Leodiensium Professoris „ Articulum lata censura, sententiam illam meam „ vel leviter petat, ut potius aperte confirmet; nec „ nisi in systema, toto celo diversum, distracta sit. „ Ita quippe habet. *In extractis circa Articulum sex- „ tum, improbat similiter Facultas, quod admittitur; „ Justis aliquando DEESSE OMNIS GRATIA ACTUALIS, „ adeoque auxilium necessarium ad salutem, (NAM „ DE EFFICACI RURSUS NON ERAT QUESITIO,) ideo „ mere, quia habuerunt peccatum Originale, quod jam „ ipsis remissum est: tenetque prorsus, quod Deus ho- „ minem justificatum non deserat subtractione omnis „ gratiæ actualis, nisi ab illo deseratur. Quorum „ enim verum tunc accurate notant Theologi illi Lo- „ vanienses, interjecta parenthesis, questionem illic „ non esse de gratia efficaci, sed universim de omni „ gratia actuali; nisi, ut eo brevi verbo signifi- „ cent, longe aliter de subtractione gratiæ efficacis „ (de qua mihi unice sermo fuit) esse sentien- „ dum, quam de negatione gratiæ etiam sufficientis, „ de qua, (ut ipsi quidem autumant) sermo- „ nem instituit Theologus Leodiensis? Ad hæc „ omnem actualem gratiam, hoc est, tam sufficientem „ quam efficacem, justis subtrahi negant Theo- „ logi Lovanienses, solo intuitu peccati Originalis, „ iisdem ante dimissi per Baptismum: quæ Profes- „ soris Leodiensis hypothesis fuisse dicitur: ego e „ contra, solam justis cadentibus efficacem gratiam „ subtraham, volo; idque demerito saltem peccati „ venialis antecedentis; erroris scilicet, ignorantia, „ negligentia, elationis, incogitantia, &c. Postre- „ mo, hominem justificatum a Deo non deseri, „ inquit Lovanienses, subtractione omnis gratiæ „ actualis, nisi ab illo deseratur; quia nimirum „ subtractio omnis gratiæ, etiam sufficientis, ho- „ minii ante justificato nunquam accidere potest, „ nisi in profundum tandem venerit, ac longa sub- „ inde scelerum serie penitus obdurerit: qua ma- „ jor Dei desertio nulla est: cum ex adverso sub- „ tractio duntaxat gratiæ efficacis, qua permittitur „ justis incidere in primum mortale peccatum, „ quo justitiam amittit, in penam duntaxat veni- „ alis peccati præcedentis veniat. Quo tamen „ casu, justus (quantumvis negata sibi gratiæ cau- „ sa sit) Deum ante deseruisse non dicitur, quam*

illi gratia efficaci negaretur; quia peccando ve- „ nialiter, Deum se ipsa non deserit; cum nec „ charitatem amittat, qua Deo conjunctus est.

Sed redeamus in viam, & scilicet illos tuos „ physica prædeterminationis oppugnatores, a qui- „ bus inconflata censura tuae me longius abduxere, „ paulo pressius expediemus.

Campanellæ igitur in objecto Indiculo succedit „ Franciscus Aravio, Episcopus Segobienfis; ex quo „ tamen multa congeras, quibus physicam præde- „ terminationem explodere visus est, ne verbum ta- „ men ad ea reponis, quibus citata illa omnia tes- „ timonia in antecessum exposui lib. 4. cap. 27. „ Planum quippe feci, Aravium, gratiæ prædeter- „ minantis strenuum defensorum, a sola *physica vo- „ ce*, peregrinis sensibus obnoxia, temperasse; ne „ ea loquendi formula significari videretur, *Deum „ voluntatem præmovere, & applicare suo pondere na- „ turali, ad instar agentis naturalis, & physici*, a „ quo sane prorsus abhorrent Thomistæ nostrates: „ est nec eam ipsam *physicam* vocem refrigerit, si „ *physica idem sit, quod realis, & in se, ac de se,* „ prout venit a Deo, *efficax*; qui germanus, & uni- „ cus Scholæ Thomisticæ sensus est. Quare hæc „ ad marginem notam appinxit: *Corrigitur* MODUS „ LOQUENDI quorundam recentiorum de gratia *physice* „ prædeterminante: ut aperte significaret, doctrinæ „ summam tota illa Tractatione minime peti, sed „ unam loquendi formulam, peregrinis sensibus ob- „ noxiam, castigari. Ac re ipsa sic est: Aravium „ enim, ut productis fragmentis perspicuum dedi „ efficacem, ac prædeterminantem gratiam voluit, „ qualem Jansenius, & plerique, ut vocantur, Au- „ gustiniani Theologi profiterentur, in delectatione „ victrici positam, ad moris potius, quam ad phy- „ sica genus attinentem; veri tamen, ac proprii „ nominis efficacem, se ipsa victricem, ex volun- „ tatis assensu minime pendulam, a sufficienti re „ ipsa, atque natura plane distinctam, voluntatis „ assensum, quovis Scientia-Media lumine penitus „ ablegato, infallibiliter, & indeclinabiliter inferen- „ tem, quacum liberi arbitrii dissensus componi „ non possit. In id totus incumbit Articulus 6. „ questionis 109. ad primam secundæ D. Thomæ: „ est prædeterminantem hujusmodi gratiam, vulga- „ ribus Scholæ Thomisticæ coloribus adumbratam, „ moralem dici malit, quam physicam, ne in am- „ bigua voce æmuli cavillentur. Quia & physica „ dici finit, ut monui, *si physica idem sit,* „ quod realis, & in se, ac de se, prout venit a „ Deo, *efficax*.

Quid tu igitur prolixius Aravii fragmentis pa- „ ginas impleas, ut illum a suis segrogem probes; „ quem, ut summe, sola voce dissidentem ostendis; „ qui, quod alii physicum vocant, tota re tanta do- „ ctinæ summa, morale duntaxat dici maluit? Ne „ tu, quæso, putidus litigator, aucupique vocum, „ ac syllabarum legelesus? Suarium legito lib. 2. „ De scientia futurorum conditionatorum, cap. 4., „ & intelliges, Aravium, vel ex hoc uno, quod „ Scientiam-Mediam, uti concedis, explosisset, totum „ physica prædeterminationis dogma necessaria „ consecutione retenturum fuisse: Cum semel non „ admittitur Scientia-Media, ut gratiæ efficacitas consti- „ stat, & infallibilitas Divini decreti, & Divina „ prædeterminationis, debeat necessario admitti prædeter- „ minatio physica. Nam infallibilis consecutio effectus „ ex vocatione efficaci intelligi non potest, nisi aut ex „ physica efficaci, & prædeterminatione cause, aut „ ex mera scientia: illa autem scientia non est alia „ nisi conditionata.

(1) Schola Thomif. Anim. 35.

CAPUT XI.

Josephi a Vita auctoritas eliditur: conficta de
Thoma Turco parida fabella
refutatur.

SEquitur in fabricato Anti-Thomistarum elen-
cho Josephus a Vita, Theologus, ut loqueris,
plane eximus, in Magistri sui Aquinatis doctrina
versatissimus, Bannesiana prædeterminationis eversor.
Addendum erat, (ne quo debito fraudetur titu-
lo) Moliniani systematis, Gratia congrua, ac
Scientia-Media servidus impugnator. Utrumque
enim tentavit Josephus a Vita, suo illo, De
proprio peccati principio, edito tractatu, quem
summis adeo laudibus celebras, in quem illud D.
Prosperi ad Cassianum merito cadat: (1) Tu
informe nescio quid tertium, & utriusque parti incon-
veniens reperisti, ut nec inimicorum consensum acqui-
reres, nec in nostrorum intelligentia permaneres. Nec
enim vester ille est, nec noster, qui medium inter
utramque Scholam iter aperuit: immo minus ves-
ter, quam noster, confensus, quis, quod capitale
apud vos est, funditus evertit; quod levius apud
nos, vellicavit. Is enim a pag. 13. ad 32. Com-
munem doctrinam Patrum Societatis, Canonem Con-
cilii Tridentini interpretantium, impugnat data ope-
ra: Suarium, Rufium, Fasolum defricat a ca-
pite ad talos, ut vel ex ipsis paraphorum titu-
lis liquet. Ac cum a pag. 28. ad 141. ablegata
penitus Scientia-Media, decreta se ipsis efficacia,
voluntatis consensum, etiam ex conditione prævi-
sum, antevertentia, disertissime ponit: & Fasolu-
m, Societatis Theologum, qui humanam liber-
tatem iis decretis eversum iri, contendebat; ex-
mente Doctoris Angelici durius exagitat. Quæstio-
nis a Josepho propositæ titulus est: *An secundum
doctrinam S. Thomæ, quam Fasolus citat, sine ex-
cludenda ab effectibus contingentibus, & liberis de-
creta Divina absoluta, seu antecedentia usum nostre
libertatis? Resolutio vero, quam per tresdecim cir-
citer paginas probat, sic habet: Ad quod dicen-
dum est, non haberi in tota Lectione 14. lib. 1. Pe-
riberniam, quam citat Fasolus, doctrinam, que vel
leviter indicet, decreta absoluta, & determinata Di-
vine voluntatis de effectibus causarum contingentium,
& liberarum, imponere necessitatem, que excludat
contingentiam, & libertatem ab ipsidem effectibus:
sed potius haberi doctrinam, qua sanctus Doctor ex-
presse docet oppositum; videlicet Divine voluntatis
decreta efficacissima, & determinatissima, queque im-
pediri minime possunt, ne perveniant ad effectum de-
terminatissime volitum, non imponere necessitatem
quæ tollatur effectuum contingentia, vel libertas. Qua
parte longissimo intervallo, ac pene infinito a Mo-
liniana sententia discedit, & in eo, quod totius
Controverfiæ caput est, Thomistis adheret.*
Equidem, instituta subinde disputatione secun-
da, decreti huiusce se ipso efficacis naturam, &
conditionem aliter explicat, quam soleant Tho-
mistæ nostrates. Cum enim ii, decreto illo mo-
tionem quandam indefectibilem inferri, doceant,
quæ causas quascumque secundas immediate deter-
minet ad infallibiliter operandum; is, ablegata
motione illa, infallibilem operationem sequi, pu-
tat, ex solo infallibili ordine Divinæ providen-
tiæ, que in tota illa variarum causarum serie, a
quibus idem prædefinitus effectus edendus est, om-
nes ita disponit, & in ordine collocat, ut una
alteram non impediatur, sed potius adjuvet; ita
cujusque impedimenta arceat, ac semovet, ut cau-
sa ultima, a qua tandem effectus expectatur, im-

perturbata agat. Sed & hoc etiam in capite tam
a vobis diffidet, quam a nobis: quippe qui
Deum non immediate causas omnes secundas mo-
vere putat, sed eam tantum, quæ ipsi proxime
subjicitur, quæque motum ejus ad alteram defert,
ut hæc inde ad tertiam, tertia ad quartam, ac
ita deinceps, instar horologii rotati. Quod uti-
que doctrina paradoxum, vestri, non secus ac
nostri demonstrant, esse falsissimum. Immo pag.
548. femel, iterumque profiteretur, nihil ad eam
Divinæ providentiæ certitudinem valere Scien-
tiam-Mediam, quam a se funditus eversam, & a
Deo sæpius excusam, movet.

Videris tu modo, qui jure Josephum a Vita
tor laudibus cumules, qui medium licet iter ape-
riat, a Moliniana nihilominus, quam a Thomi-
stica Schola longius abis. Quia vero nugaci osten-
tatione, Præpositi Generalis facultatem, necnon
domesticorum Censuram judicium, quis probatus
est liber ejus, ex integro descripsisti, ut universo
jam Ordini criminares, doctrinam, eo conten-
tam, domesticis approbatoribus, ac ipsi etiam
Procuratori Generali necessariam visam esse, que
doceatur in Ordine, & dignissimam, ut e cuncto-
rum D. Thomæ assessorum manibus, ore, & corde
haud unquam excideret; illud scito, facultatem
edendi Operis, Josepho pro more datam, modo
a delegatis Censuris probaretur, ab eodem, qui
dederat, Generali Præposito rescissam esse, statim
atque innovit, quid rei esset; quin & Josepho
veritum, ne statet incepto: quanquam Vir ce-
rebrus, & pervicax, denunciaturum interdictionem
parvi penderit, & revocatum facultatem, obtea-
tasque ab officiantibus Censuris approbationes,
edito libro præmiserit: Qui de causa, ab alte-
ro, qui proxime successit, Præposito Generali
proscriptus est. Latam sententiam, qua totius rei
gestæ series exponitur, subjicere præstat, ut qui
domestici scriptoris librum nobis objiciunt, eun-
dem, uti factum abortivum, a nobis damnatum,
rejectione, noverint.

Nos Fr. Joannes Thomas de Rocaberti, S.
Theologie Professor, totius Ordinis Prædica-
torum Magister Generalis, & servus, Universis
Angelici nostri Doctoris fides, ac sinceris Di-
scipulis salutem.

Panormi typis Andrea Colicchia anno 1665.
prodit in lucem dignior tenebris liber cujus-
dam ex Ordine nostro Fratris Josephi de Vita
Siculi Calaxibertensis, cui titulus: *Tomus pri-
mus de proprio, & per se principio, unde pro-
veniat peccatum in actionibus voluntariis &c.* In
eo præsumptuosus Auctor, nimis singularitatis
studio, privatique ingenii abreptus fiducia, de
Divina in actus liberos causalitate, ac præmo-
tionibus sic disputat, ut passim introducatur pro-
positiones, a communi vere Thomistica Scho-
le doctrina, & sensu alienas; quodque intole-
rabilius est, eandem nistur impleret Angelico
Doctori, quem crebrius allegat, palam assinge-
re: quasi mens genuina D. Thomæ hæcenus
universam illius Scholam, torque præclaros ejus-
dem Commentatores, laruisset a sæculo, donec
exurgeret homo obscurus, qui hanc Orbi litte-
rario aptius declararet.

Mature his ausibus obviare studuit vigilan-
tissimus Prædecessor noster, (2) mox ubi de
pernicie libri communitus fuit; ac, datis Pa-
normum repetitis literis, providæ fatigæ, ne
hujusmodi monstrum absque sanctorum correctione
in publicum profunderet, quod illic sub prælo
jam versari perceperat. Hinc (prout in Au-
thenticis Regestis officii sui reperimus) die 8.
Se-

Septembris 1663. districtius mandavit Priori
nostri Conventus Panormitani, ut quicquid
solorum illius Tomi fortasse jam fuerat im-
pressum, & quicquid successive adhuc im-
mebatur, colligeret, ac Romam transmitteret,
accuratius hic revidendum; interea vero nihil
istorum fineret publicari, aut venum exponi;
insuper ut Scriptori irrefragabili sanctæ obe-
dientiæ præcepto publicationem libri interim
inhiberet, donec aliud ea de re constitueretur.

Iterum anno 1665. sub die 8. Augusti, idem
Reverendissimus Prædecessor noster, aliunde
percipiens, contineri in dicto volumine asser-
ta communibus Thomistarum principis mani-
feste dissona, commisit Patri Regenti generalis
studii in Panormitano Conventu S. Dominici,
ut illa, non obstanto Censuram qualicumque
approbatione, revocet ad examen, ac de ist-
dem referat Generali Ordinis Magistro.

Rursus anno 1666. die 27. Februarii, binas
destinavit Epistolas ad P. Magistrum Fratrem
Petrum Martyrem Dionysium, cum novo man-
dato, ut is Panormi omnia absurdi illius libri
exemplaria, typis excusa, quotquot vel jam
prostant in Bibliopolarum officinis, vel ad-
huc latebant penes Auctorem, aut quemlibet
alium ex nostris, colligeret in sequestrum. At-
que ad hunc effectum delegata fuit eidem P.
Magistro specialis potestas, qua sub præce-
ptis, ac censuris, tam ipsam Scriptorum, quam
reliquos ibidem Ordinis nostri Religiosos con-
stringeret ad prædictorum exemplarium citam
extraditionem, ubicumque illa, five in ambo-
bus nostris Conventibus Panormitanis, five
apud extraneos deposita reperirentur; nec lice-
ret absque novo mandato sequellum hoc rela-
xare.

Denique eodem anno, mense, ac die, id ip-
sum Patri Magistro F. Dominico Minia, tunc
habitanti Messana, injunctum fuit pari cum
potestate, quod superscripta diligenter, ac serio
ibidem exquireretur, in utroque nostro Messa-
nensi Conventu.

Et nihilominus contumax Auctor, ac voti-
væ obedientia immemor, suo indulit cerebro
non satis firmo; ac demum effecit, quod liber
suus tam extra, quam intra Italiam, divagetur
liberrime, non sine gravium cujusque Ordinis,
ac ac status virorum offendiculo. Nec enim solum
domesticam nostri Ordinis Scholam evertere la-
borat, sed & aliis, temerariæ novitatis auda-
ci pruriginem, bellum indicit minime necessa-
rium.

Ex his præmissis quilibet cordatus facillime,
ut arbitramur, concludet, quam iuste, veroque
nostro Ordini displicent tum illæ peregrinæ
ineruditæ Scriptoris propositiones, & ineptissima
paradoxa; tum via, fraud, ac modus eadem for-
tas emittendi, refragante Superiorum imperio,
toties iterato. Certe, si in malevolam animam
non introit sapientia, nil, nisi inspidum, va-
num, atque insulsum, effundi potuit ab inge-
nio refractario, fæque professionis obli-
to.

Cæterum ad examinandas voluminis indigni
propositiones, tum hic, tum Neapoli coram
nobis doctissimos quoque nostri Ordinis Pro-
fessores Theologos pluries in confessum accivi-
mus; & re tota per dies plures solentibus in-
trospecta, concursu omnium sententia fuit, illas,
& scopum Auctoris, cum inconcussa, tutissi-
miquæ sanctarum Augustini, & Thomæ Dog-
matibus minime coherere; nec posse in ullo no-
strorum Scholarum per quemcumque conven-
tium tolerari.

Proinde adversus ineptias, tanta cum præci-
dencia quaquaversum jam vulgatas, uti placuit
repagulo fortiori; ne saltem ille, quasi ex Or-
dinis consensu, ac sensu emissa, aut dissimula-
tione tacita permittente, quicquam exinde vel co-
loris, vel ponderis acquirant. Quamvis enim
infelix earum Auctor nulla inter nos polleat au-
dioritate, vel eruditionis fama, ut potius ne-
glectu, quam operosa redargutione dignus repu-
tetur; interest tamen, larvam detrahi, ne incau-
sus imponat, fontisque Thomistici puritatem
apud lectores minus exercitatos inficiat.

Ergo quoad subditos nostros, lectionem præ-
dicti libri duntaxat illis permittemus, qui, ar-
repto idoneo stilo, eundem solida methodo re-
futare aggredientur; idque pro solo tempore,
quo in adornanda hujusmodi refutatione occupa-
buntur. De reliquo vero tam istis, quam cæte-
ris, nostræ curæ subiectis, precipimus in vir-
tute Spiritus sancti, sanctæ obedientiæ, sub
formali præcepto, ut non solum a lectione præ-
dicti Tomi omnino abstineant, verum etiam il-
lius exemplar, aut exemplaria (si quod, vel si
quæ habeant) cujuscumque impressionis, seu
reimpressionis, intra spatium decem horarum a
notitia præsentium, extradant bona fide Super-
riori loci, ubi degunt: qui Superior sub eo-
dem præcepto tenebitur, seorsim, & simul om-
nia prædicta exemplaria sub clavi aservare,
donec a nobis desuper aliud fuerit ordinatum.

Hoc idem præceptum, quoad omnes suas clau-
sulas, ac partes, extendimus ad prænominati
Auctoris Tomum secundum, si fortassis & iste
e prælo jam emerit alicubi, aut futuris tem-
poribus ullibi lucem aspexerit. Cum enim illo
promittantur hi tractatus, nempe: *De veritate
se illius principii, Omne, quod movetur, ab alio
movetur: item De necessitate precedente, & se-
quente: item De sensu composito, & diverso pro-
positionum modalium &c.* utique verendum est,
immo supponendum, quod eodem scateat insa-
lubri furtive, quo prior Tomus.

Denique & cæteros extra Ordinem nostrum
ingenuos, candidosque S. Thomæ Aquinatis
sectatores, quam postumus, instantissime roga-
mus, ut ad istam præfati voluminis suppressio-
nem ardenti zelo, ac studio nobis collaborent,
illud, seu publico conspectu plane indignum,
ubicumque poterant, a suis, & aliorum oculis
procul submoveant, ac singulari hoc beneficio
communem Thomistarum Scholam dignentur
sibi arctius devincire. Amen. Porro in fidem
&c. Actum Romæ in nostro Conventu S. Ma-
rie super Minervam, die 31. Mensis Octobris
1674.

F. JOANNES THOMAS DE ROBERTI
MAGISTER ORDINIS.

Accedit ad hæc, domesticorum Censuram ju-
dicia, furim, ac dolo malo, Josephi libro præ-
fixa (ex quo fuerant iteratis Præpositi Generalis
mandatis in irritum missa) alia quidem quinquen-
nio, alia octennio ante editum librum subscripta
esse. Quis autem spondere certo audeat, Jose-
phum, hominum cerebrosum, ac pervicacem, ni-
hil toto illo, quod effluxit temporis intervallo,
Codicibus inseruisse de integro, Theologorum
censuræ minime subiectum? Quid etiam, quod a
te venditatur Procuratoris Generalis approbatio,
in qua delicias facis, non approbatio re ipsa
fit, sed officiosa decem circiter linearum Episto-
la, annis ante librum editum undecim data, (1)
ex qua nihil, si cuncta recte pensentur, extendi
po-

(1) Cap. 3. contra Coll. (2) Joan. Baptist. de Marinis.

(1) Die 17. Nov. 1654.

potest. 1. Quia undecim annorum spatio plura & addere, & immutare Josephus potuit, quæ Procuratoris Generalis oculos non subierint. 2. Quia hac ipsa Epistola discrete significat, se integrum Opus minime legisse: *Ea vidi, si non in toto, at in partibus magis principalibus, & ubi mihi visum est magis necessarium videre illa*: atque ita totius doctrinæ nexum, principiorumque cognitionem expendere non potuit; ac forte ea tantum fragmenta legit, quibus Societatis doctrinam de Scientia-Media, deque decretis Divinis, ex humana voluntatis assensu pendulis, consultavit. 3. Quia nullos peculiariter, ac speciatim Josephi Tractatus notat, quos legerit, probavitque; sed generatim duntaxat lecta ejus Opera denunciat, ac non in toto quidem. Porro præter Tractatum De primo peccati principio, typis editum, sex alios varii argumenti Tractatus, jam tum prælo paraverat Josephus a Vita, ut ex concessa ipsi primum publicandi facultate perfectum est. Quis itaque certa opinione consequi possit, quos in tanta Tractatum turba, vere Thomisticos, ac laude dignos censuerit Procurator Generalis: editum ne (cujus frontis præfixa est ad jactantiam officiosa illa, & annofa Epistola) an ex ineditis aliquem sani coloris, atque doctrinæ? Et hæc de Josepho a Vita plus fatis.

Sed ineptissimo Scholæ Thomisticæ desertorum indiculo extremam manum imponit recantata toties, ac millies confutata, fabella de Generali Præposito Thoma Turco; que bis in phycas prædeterminationes declamasse, narras: Valentia quidem, anno 1647. quo tempore generalia illic Comitia haberentur, ubi Tholosanum Dominicanum, Theses publicas propugnantem, his verbis interpellasse, ais: *Ostende mihi locum S. Thomæ, in quo phycam prædeterminationem defendit, & creabo te Magistrum in tua Religione, contra Constitutiones tuæ Provincie*: tum deinde Parisiis, anno 1664. dum Collegii San-Jacobæi visitationem obiret: ubi Jesuitæ Bagotio, adversus unum e nostris de phycis prædeterminationibus publicæ disputanti, palam assensisse refers, ultro contestatum, ac fassum, Doctorem Angelico immerito adscribi prædeterminationes phycas, ejus principii evidenter contrarias.

O cæcæ æmulum invidiam! Thomam Turcum atroci quondam calumnia oneraturus Theophilus Raynandus, Diatriba 8. *De Immunitate Cyriacorum*, §. 151. illud dicitare solitum, effutiebatur: *Tuendum strenue esse Suburbium, ne urbs ad deditionem cogatur: id est, Cyriacis, seu Dominicanis, standum esse pro Jansenio, ne prædeterminatione pessum eat, aliaque Bannesiana placita concidant*. Nunc autem, alia hæc invidiæ aura, eundem summis ornatum laudibus, in phycis prædeterminationibus, tanquam a Doctore Angelico mente peregrinas, & a domesticis Scholis arcendas, declamantem, in scenam inducunt.

Primum hujus fabule partem de Valentina anni 1647. disputatione commentus est primus omnium Gabriel Henao, Societatis Jesu Theologus, in Emphyreologie suæ prologo 9. num. 35. jactato obsecratur, atque incertæ fidei Instrumento, quo Prædicatorum Præpositus Generalis ita Tholosanum Theſium Defensorem interpellans inducebatur: *Fateor, prædeterminationes phycas esse plurimum Thomistarum, sed a S. Thoma longe aberrantium; quibus, si mihi ostenderit, S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magistrum*. Verum de proferendo Instrumento postulat a nostris, amissionem, atque jacturam caufatus est: quam ut pro modulo refarciret, alterum sibi cudi procuravit, quatuor

testium fide munitum, die 15. Julii 1662., agente Ludovico de Tapia, ejusdem Societatis Professore, anno post habitas Valentia disputationes decimo quinto; quod subinde, ut fidem liberaret suam, integrum dedit Gabriel Henao Editione 2. Scientia-Media, historice defensæ, Eventilatione 8. Hic porro in hunc modum Præpositus Generalis locutus inducitur: *Ostende mihi locum S. Thomæ, in quo phycam prædeterminationem defendit, & creabo te Magistrum in tua Religione, contra Constitutiones tuæ Provincie*. Quæ licet in eundem sensum redeant, verbis tamen omnino diversis expressa sunt: quod vel unum (tametsi alia non suppetent) suspicandum alterutrius Instrumenti fidem faceret.

Quam incallide in primum hujus fabule actum ingressus fuit Gabriel Henao; quam vanis, ac mendacibus Instrumentis jactatum illud Thomæ Turci in Comitibus Valentinis fatale verbum confirmare tentarit, ostendi jam pridem in Aditis ad Historiam (1) producto Tholosani Theſium Defensoris authentico Instrumento, Notarii publici, ac Testium fide recognito, coram Duceſſe Tholosanæ Vicario Generali, Sede vacante, anno 1674. qui quidem, tactis Sacrosanctis Evangelis, rem longe secus accidisse, contestatur; ac ne de phycis prædeterminationibus illic actum, sed de phycis verum presentia in æternitate; ad quam nusquam confugisse Doctorem Anglicum, contendebat Præpositus Generalis, ut certam Dei de futuris contingentibus noticiam demonstraret. Unde & eventum facile suspicor, ut astantium nonnulli, ut mentis evagatione, aut forte, ut contentiosis disputationibus ferme evenit, excito rumore, que res ageretur, minus audierint; atque ex ipsa vocum affinitate nato æquivoco, Præpositi Generalis interpellationem de phycis presentia factam, de phycis prædeterminatione perperam intellexerint: quod illi, post annum inde decimum quintum Ludovici de Tapia precibus inclinati, publico scripto testati sunt.

Tholosani Theſium Defensoris Testificationi robur addit Epistola Ambrosii Capello, Episcopi Antverpiensis, qui præfens Valentine disputationi interfuerat. Is enim a Viro Clarissimo Josepho De la Verdure, in Academia Duacena Regio Professore, interpellatus, an ea veritatem haberent, quæ nuperus Gabrielis Henao exscriptor, atque succentor, Henricus De Gorf, ejusdem Academiæ Doctor, de Reverendissimo P. Thoma Turco retulisset, edito Opusculo, (2.) sequens illi responsum dedit, quo vulgata fabella falsi convincitur.

„ Admodum Reverende, & eximie Domine.

„ Tradidit mihi Socius Provincialis Fratrum Prædicatorum Litteras ad me vestras. Inquiri in his sua a me Dominatio, tanquam ab eo, qui in qualitate socii, & Provincialis Terræ Sanctæ, dum adhuc essem in inferioribus constitutus, Reverendissimo Patri Generali Turco ubique, & in omnibus actibus adfui; an aliquid subfistat veritatis in eo, quod quidam apud vos Theologiae Doctores affirmat, in Opusculo a se composito, eundem Reverendissimum Patrem Generalem, in disputationibus Capituli generalis, Valentia anno 1647. celebratis, assumpsisse argumentum Excellentissimi Domini Ludovici Crespi de Borja, Episcopi Placentini, in quo actum fuisset contra prædeterminationem phycam; & promissione Præfidenti Magisterium, si posset ostendere locum S. Thomæ,

ma, in quo phycam prædeterminationem defenderet. (1.) Cum æquum sit, ut in hac parte locum demus veritati, & declarem, quid nobis compertum sit, ne Ordo, ex quo ad Episcopatum assumptus fui, injuste in suis doctrinis tradatur: sciat eximia Dominatio vestra, nullum in primis Episcopum Placentinum, D. Ludovicum Crespi de Borja, interfuisse disputationibus præfati Capituli Valentini; sed interfuisse ipsius fratrem, tunc temporis Ordinis FF. Prædicatorum Religiosum, & Priorem Valentinum, deinde ad Episcopatum assumptum; neque etiam ullum ab eo argumentum fuisse propositum, ut attestor testis ocularis. Sciat insuper, in iisdem disputationibus Reverendissimæ Patrem Generalem nec mentionem fecisse rei, seu promissionis allegatæ, neque vel nutu aliqua insinuasse verba, a quodam Philalethe (2.) Thomistis objecta, quasi Reverendissimus Turcus, in iisdem disputationibus dixerit: *Fateor, prædeterminationes phycas esse plurimum Thomistarum doctrinam, sed a S. Thoma longe aberrantium, quibus si mihi ostenderit, S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magistrum*. Hæc enim verba, intellecta scilicet de prædeterminatione phycam, non a veritate tantum facti, (ut paratus sum deponere, qui non in illis tantum disputationibus, sed ubique loquor cum Rev. Patre Turco semper adfui) sed & aberrant ab eisdem Reverendissimi sensu, qui phycam prædeterminationis fuit acerrimus semper assertor, & propugnator. Quod vel ex eo solum irrefragabiliter liquet, quod, ubi legebat libellum eximii D. Sylvii De motione primi motoris, in quo prædeterminationi Thomistica acerrime defenditur, & propugnatur, non contentus libellum vidisse, nisi & Auctorem videret, & cognosceret, me socio, & comite, ipse Generalis integri Ordinis, & vir summæ auctoritatis, Duaci præfatum Sylvium in suo Collegio viderit, eidem, me præfente, gratulatus, applaudens, immo & gratias agens de illo suo Opusculo, tanquam genuino sectu discipuli S. Thomæ; in materia prædeterminationis Thomistica. Quod cum verum sit, nullus mihi persuaserit, Reverendissimum Generalem Turcum protulisse aliquando Valentia, vel alibi, verba prædicta, quæ ex directo opponuntur non solum factis nunc relato, sed innumeris aliis argumentis, quibus mihi constat de mente Reverendissimi Turci: de cuius, pro præfata prædeterminatione phycam, seu Thomistica, zelo, & ardore, hoc ausim affirmare, quod, si quem reperisset eidem, contra communem Thomistarum sensum, contradicentem, absolvisset eum ab omni non solum gradu, sed & a docendi munere, uti, me præfente, & oppugnante, absolvit alterum, licet in alia materia, Theologicarum disputationum Præfidentem. Hæc sunt, quæ ad Litteras eximie Dominationis vestra, veritatis intuitu, respondenda putavi: de cætero manens eximie Dominationis vestrae devotus in Christo servus.

„ AMBROSIVS, EPISCOPUS ANTVERPIENSIS.

Hujus vero Epistolæ summam in publicum Instrumentum retulit Illustrissimus Præsul, quo publicam polteris fidem faceret.

F. Marius Ambrosius Capello, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Antverpiensis, Omnibus hæc visuris salutem. Ad requisitionem, ac supplicem instantiam F. Francisci Janssens Elinga, S. Serry Tom. II.

(2.) Ita plane fertur in Instrumento, a Gabriele Henao relato. (2.) Et illud Gabrielis Henao asertitium nomen.

Theologie Licentiati, ac studii nostri generalis FF. sacri Ordinis Prædicatorum Regentis primarii, denuo notum facimus, ac attestamus, nos anno 1647. in qualitate Provincialis Terræ Sanctæ, ac primarii Assistentis Reverendissimi Patris Generalis, F. Thomæ Turci, interfuisse Capitulo generali, Valentia celebrato: nequaquam vero eundem Patrem Generalem in disputationibus in eodem Capitulo habitis, protulisse verba, a quodam Philalethe Thomistis objecta, vel aliqua illis similia, videlicet: *Fateor, prædeterminationes phycas esse doctrinam plurimum Thomistarum, sed a S. Thoma longe aberrantium; quibus, si mihi ostenderit, S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magistrum*. Hæc enim verba, & similia, non a veritate tantum facti, sed etiam aberrant ab eisdem Reverendissimi sensu, qui prædeterminationis phycæ tam acer fuit defensor, & propugnator, ut ausim affirmare, quod, si quem reperisset, eidem, contra communem Thomistarum sensum, contradicentem, absolvisset eum ab omni non solum gradu, sed & docendi munere, uti, me præfente, & oppugnante, absolvit alterum, licet in alia materia, Theologie Professore, ac Præfidentem. In fidem, ac robur, hæc manu nostra subscriptimus, ac sigillo nostro. eas muniri curavimus. Datum Antverpiæ die 27. Novembris 1674. F. AMBROSIVS CAPELLO, EPISCOPUS ANTVERPIENSIS, ex Ordine Prædicatorum assumptus.

Suffragantur & alii oculati testes, qui Comitibus Valentinis, & Tholosani Professoris disputationibus interfuerant: Vincentius Baronius Epistola ad R. P. Martinum Harnay, in Lovanienſi Academia S. Theologie Professore, data, die 15. Septembris 1673., & Præpositus Conobii Valentini, una cum duobus S. Theologie Magistris, Epistola in Commune data, die 20. Februarii 1674. ubi adversus Testes, a Gabriele Henao productos, falsi crimen intendunt. Has videlicet apud Franciscum Janssens Elinga, Opusculo, cui titulus, *Veritas manifestata* &c. Antverpiæ typis edito, anno 1675.

Hæc tu domestica testimonia dices, cum externis, a Gabriele in contrarium adductis, minime conferenda. Sit ita forte, si hoc unum simpliciter spectare lubet: At si, quæ laudantur a tuis, externa testimonia, aperta deceptionis, ac falsitatis indicia præferant, quidni domesticos testes externis anteponamus? Ita porro res habet. In primis eum, qui fabricato per Ludovicum Fapiensem Instrumento subscribere anno 1662. etiam matura tunc ætate essent, & Academiæ titulus aucti; annos tamen duntaxat 24. (si primum exceperit) nati erant, quo tempore disputationes haberentur; nec si idcirco tunc erant, qui res, in questionem adductas, plene perciperent. Ut sciam, quiddecim annorum spatio, facti memoriam de facili consensisse in iis maxime viris, quorum nihil intererat, meminisse. 2. Male in Prædicatorum Ordinem animati referuntur, Litteris ad P. Franciscum Elinga Valentia datis, quarum ille mentionem habet pag. 22. Opusculi, paulo ante laudati: *Testes* (Epistolæ verba erant) *sunt cognite, & magnæ oppositionis malignæ, contra Dominicanam Religionem, Valentia*. 3. Falsi aperte convincitur, quod in subscripto ab ipsis Instrumento recitatur. *Capitulam generale anno 1647. Mense Maio, in Civitate Valentia habitum esse*. Siquidem Comitia nostra generalia non nisi in pervigilio Pentecostes auspiciari solemus, quod anno illo in diem octavam Junii incidisse, certo liquet. 4. Peraque falsum est, quod adjicitur: *Argumentum propositum*

(1) Vide nunc lib. 4. Hist. cap. 26. (2) Extat apud Joannem a S. Dominico in *Compendiaria Theologia moralis* explicatione. pag. 210.

tum fuisse per excellentissimum D. Ludovicum Crespi de Barja, Episcopum Placentinum; qui ne disputationi quidem interfuit. 5. Inconspicua loquendi formula Præposito Generali affingitur: *Creabo te Magistrum in tua Religione*: quasi aliam ille Religionem professus esset. 6. Quod præ cæteris animadversione dignum est, fluxamque, ac lubricam conductitorum fœderum fidem invide probat; certis plane documentis evincitur, Thomam Turcum physicas prædeterminationes, uti certam D. Thomæ sententiam, tradidisse; nec eum idcirco fuisse, qui, quod illi ab æmulis verbum affingitur, proferre poterit.

Extat enim vero Cremonæ in communi FF. Prædicatorum Bibliotheca Manuscripti Codex (1) foliorum 833. quo Reverendissimi Patris Thomæ Turci prælectiones Theologicae continentur, manu ejusdem exaratae. A folio porro 392. ad 426. prolixè hujus argumenti tractatio legitur, ex qua pauca hæc delibare, sat erit ad eruditissimi Viri sententiam de physicis prædeterminationibus internoscendam.

PRIMA CONCLUSIO: Deus non prædeterminat voluntatem hominis ad malum formaliter &c.

SECUNDA CONCLUSIO: Deus prædeterminat voluntatem hominis ad substantiam actus peccati; ita quod sine tali prævio, & prædeterminante auxilio efficiat, voluntas non possit exire in talem actum. Ad hæc veritate sola auctoritas Ecclesiæ, cujus censure submissi istam doctrinam, & committo me, poterit me remanere. &c.

TERTIA CONCLUSIO: Deus auxilio efficaci præveniente prædeterminat nostram voluntatem ad actus liberos bonis ordinis naturalis, quantum ad rationem particularem suorum objectorum. Hæc conclusio videtur mihi expressè in multis locis Sacrae Scripturae. . . . In corroborationem hujus poterant adduci omnia loca D. Thomæ, quæ attinimus quæst. 79. art. 1. ad. 2. Conclus. 1. Quibus consonat alius locus D. Thomæ hic quæst. 109. art. 1. Ubi ait, quod Deus prius natura movet, & applicat voluntatem liberam ad suam operationem, quam ipse operetur. Idem probat clarissime quæst. 22. De veritate, art. 8. in corpore. &c.

Quam tenacem physicarum prædeterminationum assertorem fuisse illum, necesse est, qui, quod in eo doctrinæ capite præ cæteris videtur incommodum, (Deum scilicet ad actus prævi substantiam prædeterminare hominis voluntatem) adeo firmiter propugnabat, ut ab eo sola se Ecclesiæ auctoritate dimoveri posse, profiteretur? Quisve putet, illum de profereudo vel uno D. Thomæ loco, quo physicas prædeterminationes docuisset, Tholosanum Thesium Defensorem interpellasse, qui tam multa in suis prælectionibus indicaverat?

Cæterum, ne quis putet, Thomam Turcum ita quidem, dum Theologiae Professore ageret, sensit prædem, at alios tandem sensus, secutus inde temporibus, induisse; alterum ejusdem propugnati ab eo dogmatis argumentum dabo, quo, quid ille postremo ipso vitæ anno senserit, palam fiet.

Prostant in omnium oculis Alexandri Sebille, Lovaniensis apud Prædicatores Professoris Theologi, Conclusiones de Libero Arbitrio, a domesticis Belgii Præpositis, malevolorum arte circumventis, defendi vetitis anno 1649., tum subinde, post factum illarum exame, a Præposito Generali Thoma Turco, ad quem provocaverat Alexander, propugnari jussæ eodem anno; ac tandem peculiari Innocentii X. indulto in lucem editæ initio libri, cui titulus est: *Dei Augustini, &*

SS. Patrum de Libero Arbitrio interpret Thomæsticus. Extat ibidem typis edita Thomæ Turci brevis Epistola, Thesium Auctori inscripta, qua, misso in irritum Belgiarum Præpositorum interdicto, easdem publice defendi, jussit. Hujus hæc verba sunt: *Reverende Pater Regens, graviter sensi, quod Thebes vestre de Libero Arbitrio Lovanii fuerint prohibite, Eas accurate perlegi, & cum nihil in eis repererim reprehensione dignum, quin potius invenerim, esse in omnibus et per omnia conformes doctrinæ S. Thomæ; hinc mando districte Provinciali vestre Provincie, ut easdem faciat publice defendi in eodem loco, quo fuerunt prohibite. &c.* Fuit porro annus 1649., quo isthæc scriberet Thomas Turcus, mortalis ipsius contubernii plane ultimus. (2) Quid ergo, si physica prædeterminationes iis Thesibus, quas in omnibus, ac per omnia Divo Thomæ consonas censuit, inferantur? An non, quæso, consequens erit, Thomam Turcum physicas prædeterminationes, uti D. Thomæ consentaneas, ad extremum usque vitæ cardinem tenuisse? Inferuntur autem, & quidem omnium detestissime.

Conclusio 4. Requiritur ad libertatem actus, quod sit a voluntate, cum potestate ad oppositum; id est, quod taliter illum, eliciat, ut possit non elicere, vel taliter imperare, ut possit non imperare. Sed quali potestate? Sufficit ne remota, pro instanti operationis, que possit reddi proxima pro alio instanti per intellectus fabricatoris operam? Minime. Sufficit ne remota pro instanti efficacis prædeterminationis, que possit reddi proxima, prædeterminatione excussa, non ea remota? Minime. Debet ergo esse proxima, & pro eodem instanti quo est libera operatio, & pro eodem instanti, quo perseverat prædeterminatio &c.

Conclusio 5. Auxilium gratiæ sufficientis talis est conditionis, ut sine illo voluntas non possit proxime operari, & cum illo possit; licet cum illo solo nunquam de facto sit operatura. Quid ergo ad de facto operandum ulterius requiritur? Sane prædeterminatio efficax, que sit vel entitatis naturalis pro operatione libera naturali, vel entitatis supernaturalis pro operatione libera supernaturali.

Conclusio 15. Qui affirmat, hominis liberum arbitrium, per prædeterminationem gratiæ efficacis in unam partem motum, in alteram, retenta eadem prædeterminatione, se reflectere non posse, potentia vere expedita, & proxima ex parte actus primi, non salvat definitionem Concilii Tridentini sess. 6. cap. 5. &c.

Sic ille pro humanæ voluntatis arbitrio litat, positis principiis gratiæ prædeterminantis: cum eam ex adverso sublatam, velint Scholæ Thomisticae desertores, ne humanæ voluntatis arbitrium pessum eat.

Jam quid alteram decantatæ de Thoma Turco fabellæ partem distinctius eventilem: datas scilicet Jesuitæ Bagotius dexteris, dum de physicis prædeterminationibus adversus unum e nostris Parisiis disputaret? Utrumque enim commentum productis hæcenus documentis eversum est. Quamquam nec quæstis eminus instrumentis est opus, ut & te in hoc secundo producendo figerent, & quem fidenter excubis, Henricum De Cerf, turpius cæteris omnibus hallucinatos, evincam. Ita quippe Vir ille tuus eximius, & consummata eruditionis Doctor Theologus, & Cancellarius Universitatis Duacensis, post recitatam ex Galtrucio Jesuita habitæ Parisiis disputationis fabulam, rem rotam Antecessoria, & Magistrali auctoritate confirmat, Opusculo De mente S. Thomæ circa physicas

ficas prædeterminationes, cap. 3. a te ipso transcripto: Hoc ipsum Litteris 10. Januarii anni 1664. ad R. P. Jacobum Platel Societatis Jesu, meum quondam in Theologia Professore, virum non minus sincerum, quam solide doctum, datis, & a me vixto, confirmavit ipsemet Bagotius, his verbis: anno 1664. post Pascha in magno Conventu PP. Dominicanorum, via Jacobæa, propugnata sunt, præsentè Reverendissimo P. Turco, Thebes Theologicae, ad quarum oppugnationem invitatus, prædeterminationes physicas impugnari hoc argumentis &c. Val mendaces incallidos, & male confute fabulæ venditores! Equi, quæso, fieri potuit, ut Thomas Turcus, quem die 1. Decembris anni 1649. evigilis ereptum, liquet, anno tamen 1664. Theologicis concertationibus Parisiis interfuerit? Quæve demum ratione effectum est, ut Litteris die 10. Januarii anni 1664. ad Platelium datis, ea ipsa Bagotius scripserit, quæ, non nisi post ejusdem anni festâ Paschali, gesta finguntur? Et has tamen, si Superis placet, Litteras vidit Doctor eximius, & consummata eruditionis Cancellarius! Ite nunc Viri Theologi, & talibus D. Thomæ mentis expositoribus fideite, quorum nec oculis fidere possumus.

CAPUT XII.

De Vallisoletanis Disputationibus, quibus privata Molina Causa communibus votis a Societate suscepta est anno 1594. adversus FF. Prædicatorum oppugnationes.

Nili novi, harum disputationum occasione, ingeri video, quod & Gernontio, sodali tuo, scilicet errorum Indiculo, nobis objectum, & a nobis in altera Gallicarum Defensionum parte confutatum ante non fuerit. Immo nonnulla nunc intacta relinquere deprehendo, quæ summa ille fidentia suggillabat; ut quod Molina causam communibus votis a Societate susceptam dixissem, jam tum ab anno 1594. 1594. Quare prestat, opere parcere, datamque jam pridem ad singula capita responsonem breviter indicare.

Traducuntur in primis a te Scholæ Thomisticae Professores, tanquam turbatorum omnium, quæ Moliniana Doctrina occasione excitata sunt, incensores, hæc perbella argutatione: Molina Thomistica aggressi sunt omnium primi; Jesuitæ solo defensionis titulo pro Molina certant: illi ergo, non isti, perturbatores habendi sunt.

Responsum Art. 33., utrumque ex æquo falsum esse. Falsum, inquam, quod principii loco ponitur; quandoquidem Augustinianam, & Anglicam Scholam Molina prior aggressus est, quarum capitalia dogmata, uti errores in fide, suggillavit; receptissimas, probatissimasque sententias, uti feras, crædeles, Divina bonitate indignas, explodit, quæ viros, eruditione, & auctoritate præcipuos, in desperationem adegerint, Pelagianæ sectæ vires addiderint, Lutheranis, & Calvinianis erroribus viam traverint. Nec soto, ut obtemperat, defensionis titulo literarum Socii, sed potius aggressori auxilio adfuerit, tuleruntque supplicias: eaque de causa factum, ut oblata adversus Molinam supremo Hispaniarum fidei Quæstorio, ac deinde Romano Pontifici, Instrumenta, Apologiam inscripserint Prædicatores Provinciae Hispaniensis. Falsum itidem, quod ex vana positione elicitur, confectarium, est quæ falsissima ponis, vera esse, concederentur; cum, ubi doctrinæ res agitur, nulla lege constitutum sit, Serry Tom. II.

ut ii excitorum inde turbinum auctores habeantur, qui primi in eam invehantur; sed qui (seu priores oppugnent, seu resistent oppugnantibus) erroris partes proterve tuentur. Has itaque partes quinam susceperint, inquirendum, ut in eos tota excitorum inde turbinum invidia transferatur.

2. Antonii de Padilla Disputationes Apologice pro Molina die 5. Maii habitæ dicuntur, & Cardinali Alberto Aultraco nuncupatæ, defendente Alphonso Romero, Theologiae Candidato.

Responsum Art. 32., tria hæc, tametsi leviora, peræque falsi convinci melioris notæ instrumentis: ut vel hinc pateat, quam parum tu ipse sis in his rebus instructus, qui nos minus instructos effutis: Has enim Thebes Hispaniarum Principi primogenito nuncupatas referunt Prædicatores Provinciae Hispaniensis in sua adversus Molinam Apologia, & Clarissimus Pegna in Narratione de initiis Controverſiæ de Auxiliis: Candidatum vero Theosof defensorem, Hieronymum Nunnes Socii tui vocitant in Scripto, Hispaniarum fidei Quæstorio sub idem tempus oblato, diemque quartam Maii Disputationis datam observant, una cum Clarissimo Pegna.

3. Traducitur Didacus Nugno, quasi actione minus modesta, ac moderata, animoque concitato, in arenam adversus Antonium de Padilla descendit, magnisque vociferationibus nihil effecerit. Pari invidia oneratur Alphonſus Avendanius, quod charitatis, ac modestiæ fines exceſſerit, dum in novellas Sociorum opiniones e sacro suggestu declamaret. Duplicique facti testis producitur, Alphonſus de Mendoza, Abbas Vallisoletanus, & Vicarius Generalis, bis ad Nuntium Apostolicum, & supremum fidei Quæstorium datis Epistolis.

Responsum Art. 33., rem longe aliter in Narratione Dalmatii Amati recitari; ubi Nugni, & Avendani zelus, pietas, & eruditio commendatur: (1) est nil cause meritis officeret, quamquam, in ea tuenda, rationis limites exceſſissent. Additum, Abbatis Vallisoletanus binas Epistolas: nullo certo, ac probatæ fidei auctore, proferri; easque, si forte re ipsa datæ fuerint, a fidei Quæstoribus nauci habitas: quippe qui, ejusdem de Societatis doctrina judicio contempto, Didaco Nugno indulſere, ut assertiones, priori illo conflictu a Jesuitis defensas, contrariis Theſibus, uti falsas, improbabilis, & indefensibilis impugaret: non utique permittitur, si tantam illi priori conflictu offensione concitasset. Ut interim sileam peculiarem illam, in quam Nugno disputaverat, assertionem, a celebri de Divinis Auxiliis Congregatione, uti errorem in fide, rejectam esse.

Ex sola arbitrii humani libertate provenit, quod ex duobus, equali auxilio interius a Deo vocatis, unus convertatur, altero in peccato permanente. num. 21. Observatum tandem, immodestam illam, & immoderatam Didaci Nugno actionem, a Vallisoleitano Abbate, datis Epistolis exaggeratam, unde totius, ut scribebat, cæteris offensus nota fuerit, in hoc tandem uno positam dici, quod Jesuiticus Theſis inter disputandum censura notasset, in contemptum, ut ipse quidem autumabat, sancti Officii. At scire debuerat Clarissimus Abbas, Natalium, quam doctrinæ titulus illustrior, duplex fecerat Censuræ genus: alterum ex auctoritate latum, Judicibus Ecclesiasticis reservatum, quod sententiæ vim, & robur obtineat: alterum consultatiõnis, & opinionis, in cujusque privati Theologi iudicio doctrinali situm, quo, quid de assertionem ali-

K 2 qua

(1) Hujus penes me transumptum habeo, Notarii publici fide recognitum die 30. Aprilis 1707. (2) Obiit die 1. Decembris 1649.

(1) Vide lib. I. cap. 20.

qua sentiat, simpliciter dicit. Quis vero putet, Dominicanos Ecclesie iudicium in Vallisoletanis disputationibus affectasse, ipsaque fidei Quaestorum iura praeripuisse; cum potius assertiones, quas male sanas existimabant (existimanturque deinceps Romani Theologi Consultores) ad illorum tribunal deferrent, Ecclesiastico iudicio proferendas? Aut quis nefciat, Molinam, quem a Didaco Nugno censuris inultum, dolet Clarissimus Abbas, audaciori longe praesidentia receptissimas Scholae sententias censuris atrocissimis inuississe? Sed illud maiorem admirationem parit, quod & me ipsum Abbatis tui Vallisoletani narrationi suffragam velis, quasi, narrata ferventi, & immoderata Didaci actione, subjunxerim: *Res non sine astantium offensione successit*. Fallis. Immo potius id a me dictum est, postquam Hieronymi Vallejo, viri pietate, religione, sanctimonia conspicui modestissimam, ut ipsemet vocas, disputationem enarravi; qua tringinta, & eo amplius Moliniana Concordia loca recentuit, quae haereticos, aut erroris insinulabat, ob repugnantiam cum Synodi Tridentinae Decretis. Tunc scilicet subjunctum a me: *Res non sine astantium offensione successit*: ut hinc noveris, ex oppugnantium dogmatum exorbitantia, non ex immoderata disputationum actione, natam esse, quam dixi, astantium offensionem.

4. Incuratur idem Didacus Nugno, quod Thefes Theologicas, vice quoque sua, adversus Moliniae doctrinam defendens, die 17. Maii, peregrinam illi sententiam affricerit, his verbis expressam, in affixo per compita Thesium Folio: *Cum aequali omnino auxilio gratiae ex parte Dei, pro sola libertate arbitrii, unum converti ad fidem, non alterum*. Quam idcirco assertionem erroneam falsis sit Antonius de Padilla, in aciem veniens, & Soldali suo perperam assilam, contestatus sit.

Responsum Art. 33., Moliniae sententiam, optimam omnium fide, patris illis verbis comprehendendi; nec posse id, nisi a professo vilitatore, in dubium verti. Duo quippe vim habent in hac brevi periodo: 1. quod aequale auxilium gratiae ponatur ex parte Dei: 2. quod pro sola libertate arbitrii unum pra altero convertatur. Ita porro Molina in Concordia, quaest. 14. art. 13. disp. 12. §. Ex dictis. si duo aequales per omnia, et in omnibus, conspiciant eandem multoem pulchram, evenire potest a sola libertate utriusque, ut unus consentiat in peccatum, eam concupiscendo; alter non item. Eademque est ratio de eodem modo affectis, aequaliterque a Deo ad fidem vocatis. Pro sola namque eorum libertate potest evenire, ut unus complectatur fidem, alter vero eandem contemnat. Et quaest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 11. §. Denique: *Sint duo homines iusti, animo, & corpore, ceterisque adiunctis per omnia pares; potiusque, Deum constituisse, eodem prorsus modo ex parte ontulari, ac providere; tunc, oblata eadem peccandi occasione ex aspectu eiusdem mulieris pulchrae, pro sola innata libertate utriusque fieri potest, ut unus in peccatum consentiat, alter minime, sed se ipsum cobibeat*. Haec ille, quae etiam Augustino tribuere non veretur.

Perperam autem, Molinam de sola gratiae praeventis aequalitate locutum, ais, aliamque cooperantem, & adjuvantem gratiam ab eo agnitam, dicit, in homine penitente, ac superante tentationem. Quorsum enim unius pra altero conversionem, atque victoriam in solam innatam libertatem reduxisset, si maioris adjuvantis, & cooperantis gratiae fecerit existimasset? sed & spiritum interpretamentum rejicit, quod habet Ludovicus Molina quaest. 14. art. 13. disp. 39. §. Illud pra-

terea; ubi, eadem adjuvantis, & cooperantis gratiae mensura posita, plus unum naturae viribus adniti, docet, ut se ad justificationem disponat, aut ardenter edat contritionis, & charitatis actus. Illud praeterea vehementer displicet, quod subjungunt adversarii, videlicet pro qualitate auxilii gratiae cooperantis spectandam esse quantitatem actus, quem liberum arbitrium, tanquam auxiliu adjuvatum, producit: quasi, existente aequali auxilio Dei, non possit esse intensior, & ferventior actus contritionis, aut dilectionis in homine uno, quam in alio, quando in via sunt; aut, existente auxilio inaequali, non possit esse aequalis actus in duobus, aut major in eo, qui minori auxilio adjuvatur. Etenim, cum liberum arbitrium una cum auxilio Dei efficienter in actum, quo se ad justificationem disponit, influat, sitque causa libera, potens majori, aut minori conatu, pro sua libertate influere: utique ab inaequali conatu, & influxu liberi arbitrii evenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus aequale auxilium gratiae adjuvantis, unus eorum intensius operetur, intensius se disponat ad gratiam iustificatam, quam alius; & ut, conferente eisdem, inaequalia auxilia, aequè operetur, aut insistentius, qui minori fultus est auxilio. Sic ille putido sophismate, majorem, minoremve supernaturalium actuum perfectionem in ingenitas naturae vires reducit; nec advertit, liberum arbitrium in actus, quibus ad justificationem disponitur, influere quidem, at non non ut causa naturalis est, sed ut per gratiam super naturam sortem effectum est. Quo fit, ut major, minorve charitatis ardor, non ex majori, minorve naturae conatu pensandus sit, sed ex majori, minorve gratiae, naturam elevantis, perfectione. Ita D. Thomas 1. par. quaest. 12. art. 6.

Accedit ad haec, ex Moliniana doctrinae principis gratiam adjuvantem, & cooperantem solo nomine a gratia praeventiente distingui; nil novi, quod a Deo sit, superaddere; immo ab ipsa liberi arbitrii constitutione pendere, ut in actum influat, novumque cooperantis, & adjuvantis gratiae nomen, & officium obtineat. In Concord. quaest. 14. art. 13. disp. 37. §. Denique: *Illam eandem gratiam, quae liberum arbitrium praeventit, & excitat ad actus, quibus se ad justificationem disponit, dicitur cooperans, si arbitrium cum ea consentiat, atque simul pro sua libertate influat. . . . Non sunt ergo distinctae gratiae, praeventiens, & operans, atque adjuvans, sed una, & eadem, quae spectata, antequam liberum arbitrium cum ea cooperetur, elicitque actum liberum, per quem ad justificationem disponitur, dicitur praeventiens; spectata vero, prout, cooperante iam cum illa libero arbitrio, ipsa etiam cooperatur, & influit in eandem actum, dicitur cooperans. Et disp. 38. §. Hinc patet: Licet gratia praeventiens, quae praeventiens est, antecedit consentum nostri arbitrii, & operationem ipsius ad actus credendi, sperandi, & peccandi, quibus ad Deum convertimur, influxus tamen, & cooperatio eiusdem gratiae cum nostro arbitrio ad eandem actus, a quo gratia praeventiens rationem sortitur gratiae cooperantis, non antecedit liberum nostrum consentum, & cooperationem ad nostram conversionem, sed concomitatur, ET AB EA PENDET. . . . Influxus ille gratiae cooperantis non antecedit consentum, determinationem, & cooperationem arbitrii ad eandem conversionem, quin potius AB EA PENDET; UT SIT IN REBUS NATURA. Nihil ergo a Deo plus habet, Moliniae iudice, qui gratia cooperante adjuvatur converti dicitur, quam qui*

qui sola praeventiente excitatus in infidelitate perseverat: cum gratia cooperans Moliniana, non modo solo nomine a praeventiente distincta sit, verum etiam a libero voluntatis arbitrio pendeat, ut cooperetur, & sit, non a Deo.

5. Recantatur Antonii de Padilla Narratio historica, qua geminae disputationis exitus longe aliter percensetur, quam vulgaris paulo ante Praedicatorum Relationibus circumferretur. Cui quoque major conciliatur fides, ingentia Antonii merita commendantur, natalium splendor, pietas, eruditio, religiosa conversatio: viroque duodecim, qui Narrationi historicae calculum adiecerit, chirographa exhibentur.

Responsum Art. 35. Si vulgatum tunc temporis Narrationum fides ex Auctorum meritis pensanda veniat, haud minori natalium, virtutumque splendore commendandos esse Dominicanos, (1) qui contraria Antonio, vulgaris relationibus, publicantur: horum quippe mentionem summo honore prosequuntur Nicolaus Antonius Hyacinthus de Parra, Ambrosius de Altamura, in Bibliothecis. Si autem ab exitu, latoque de utrisque Inquisitorum iudicio aestimetur, Padillianam haud dubie falsi convinci, tamen si duodecim testium subscriptione munita prodierit. De his enim coram Vallisoletanis fidei Quaestoribus instructa quaestione, universa Padilliana Narrationis exempla intercepti iusta sunt, nulla duodecim testium subscriptionem ratione habita. (2) Qua in re consentientes habeo Jesuitas ipsos Castellanos, in oblata post menses aliquot supremo Hispaniarum Inquisitorum Narratione, quamquam (ut emollire res suas solent) suam tandem Antonio de Padilla restitutum exemplar, adijciant. Non ita profecto cum Dominicanis actum: vulgata ab iis habitaram Vallisoletani disputationum enarratio libere per Universum Castellae Regnum circumlata est, nullo intercedente Quaestorum, aut Praesulum interdicto. Unde porro tam dispar utriusque conditio, exitus tam diversus; nisi quod Padilliana Narrationis falsitatem retererit viri Iudices, testesque misere corrasos, subornatos, ac fictos, instructa quaestione, deprehenderint?

Et quidem patet fraus ipsa per sese, si res paulo distinctius perpendatur. Testes enim nonnulli, Jurisconsulti, ac Medici profuerunt, qui etiam subiecto chirographo ingenuè faterentur, Nunquam se Theologicae Facultatis navasse operam. Quasi vero ad tam celebres disputationes non satis Theologorum confluxisset, ut ad Jurisconsultos, ac Medicos, rerum Theologicarum plane rudes, confugere necesse fuerit, qui utro, citroque de subtilissimis, difficillimisque Theologiae quaestionibus disputata testarentur. Perpauci etiam subscriptionem geminis disputationibus interfuisse perhibentur; immo nec uni, eidemque disputationi, quoto tempore perduravit, horis scilicet matutinis, ac vespertinis, interfuisse nonnulli: sed alii alterius duntaxat disputationis exitum contestantur; alii matutinae duntaxat, alii vespertinae functionis fidem faciunt: adeo ut, omnibus in summam deductis, vix quinti, aut seni de integro testes computari possint. Quid plura? Pugnat fortissimo in capite Padilliana narratio cum altera Castellanos Jesuitarum narratione. Refert enim Antonius de Padilla, id a se initio disputationis diffidissime denunciatum die 17. Maii, Propositionem in Didaci Thesibus nota inultam, *Cum aequali omnino auxilio ex parte Dei, pro sola libertate arbitrii, unus convertitur ad fidem, & alius non convertitur*, nec Moliniae, nec cuiusquam Catholicus Theologi esse; immo mitioribus, quam

par esset, notis inuri a Didaco; quippe non solum esset *indisubstans*, ut seibat, sed & erronea. E contrario Socii Castellani hanc ipsam ab Antonio de Padilla, uti probabilem, errorisque puram, in priorum Thesium defensione propugnatam, agnoscunt. Ita enim Didacum adversus Antonium disputantem inducunt: *Hec propositio est haeretica: Cum aequalibus auxiliis omnino, & quantum ad omnia, unus convertitur, alius non convertitur: ergo haec propositio est erronea, nude sumpta, & non explicata, (qualis nimirum in thesibus legebatur) Cum aequalibus auxiliis unus convertitur, alius non convertitur*. Cui negatum, inquit, antecedens a Respondente Theologiae candidato; ejusque responsum ab Antonio praeside confirmatum, uti probabile: quod nimirum iis verbis elata propositio nihil sonaret aliud, nisi aequalia gratiae praeventientis auxilia. Hanc itaque assertionem inter disputandam defendit Antonius, quae in propositi enthymematis antecedente continebatur: *Cum aequalibus auxiliis omnino, & quantum ad omnia, unus convertitur, alius non convertitur*: hanc inquam haereticam dici, noluit, sed, uti probabilem, propugnavit.

Addam, falsi perinde convinci alteram Padilliana narrationis partem, qua fectur, non ausum Didacum Nugno, propositionem, a se notis inultam, Moliniae tribuere, etiam dum ad id ab Antonio in publica disputatione urgeretur; eumque disertis verbis denunciante, hanc a se assertionem fuggillari, nulla ad Moliniam, aliumve privatum Auctorem ratione habita. Oppositum quippe liquet ex ipsis Didaci Nugno in tertiam partem D. Thomae Commentariis, quaest. 62. artic. 5. Tractatu de Auxiliis, ibidem inserto, quaest. 2. ubi varias Moliniana Concordiae propositiones congerit, ac refellit, ad hanc ipsam confandam assertionem collimantes: Ex pagina scilicet 62. *Fieri potest, ut duorum, qui aequali auxilio interius a Deo vocantur, unus pro libertate sui arbitrii convertatur, & alter in infidelitate permaneat*. Ex pag. 53. *Vocatis duobus hominibus ad fidem aequaliter per omnia, & in omnibus, sola istorum libertate potest evenire, ut unus amplectatur fidem, alter vero eandem contemnat*. Ex pag. 477. *Cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus iustificatur, & salvatur, alius pro sua libertate neque iustificatur, neque salvatur*. Ex pag. 225. *Cum minori auxilio etiam gratiae coadjuvantis potest homo producere intensiorem actum charitatis, & melius se disponere ad gratiam, pro majori conatu libere voluntatis, quam alius cum majori auxilio eiusdem gratiae coadjuvantis*. Adeo scilicet falsum est, non ausum Didacum Nugno, hanc ipsam assertionem Moliniae tribuere.

Quid igitur infelicem, male consultam, proscriptamque narrationem obtulerit juvat? obtundis tamen; ac, ne productis momentis victus omnino videaris, nonnulla molli brachio regeris, quae ridere fatius sit, quam refellere. Padilliana scilicet narrationis exempla universa sacrorum Quaestorum auctoritate intercepta, atque suppressa, concedis quidem; at (quae acuta, ingeniosaque exceptio est) non ideo, inquis, quod falsi convicta essent, sed ut pax interim servaretur, utque sane consuleretur eorum, quorum narratio tot testimonis authenticis palam falsitatis convinceretur. Dicitur bene! scilicet id forte cucubitis persuasum velles, aequissimos Iudices iniquissimis conditionibus pacem diffidentibus daturis, omni bello crudeliore; qua nimirum libere, & undequaque circumlata Praedicatorum, ut ais, facta calumniis narratione, altera, quae veritatem in propatulo

poneret, purgaretque infantes, tenebris addiceretur; ipsaque, quod iniquus est, impolitorum fama, bonorum damno, atque iactura, redimeretur? Equivocis vero ludis, dum, aliam propositionem fuisse, ais, quam Socii Castellani ab Antonio de Padilla prioribus Theſibus defenſam, agnoscunt; aliam, quam Didacus Nugno posterioribus Theſibus suggillavit. Quanquam enim alia propositio fuerit, multoque tolerabilior, quæ ipsimet Antonii Theſibus inscripta erat, nempe, *Cum equalibus auxiliis unus convertitur, alius non convertitur*; eadem tamen omnino fuit, quam, ut probabilem, defendit in data disputanti Nugno responsione; videlicet, *Cum equalibus auxiliis, omnino, & quantum ad omnia, unus convertitur, alius non convertitur*. An ista porro Molina sit, (quod ingenti fiducia negas) quæ modo ex eo protuli, testimonia planum faciunt.

His ita in aperto positis, detectaque Padilliana narrationis falsitate, id demum consequens est, rem ita in geminis Valtioleti concertationibus accidisse, ut in aliis Relationibus, in Historia nostra laudatis, continetur: Antonium scilicet, Prædicatorem rationibus victum, Molinae assertionem erroneam, falsum esse, ac palinodiam decantasse. Quare fidem minime superat, quod scribit Dalmatius Amatus: *Abſolutis disputationibus, Patres ipsos Societatis eadem die ad vespertinam Molinae librum sacro Inquisitionis tribunali, tanquam de heresi suspectum, detulisse; id unum ab æquissimi iudicibus postulantibus, ne FF. Prædicatores in Censores assumerentur*. Priorum enim consecrarium istud est: Esti nec ex animo facta delatio censenda sit, sed ut publicam in eo rerum concursu indignationem amolirentur; Cujus rei exempla nonnulla dedi Tomo 2. Gallicæ Defensionis, art. 36.

CAPUT XIII.

De celebri Auxiliorum Controversia; Romæ, Jesuitis agentibus, evocata: nec non de Scriptis, atque Censuris, a Supremo Hispaniarum fidei Questitore ad Summum Pontificem missis.

Quin instantibus, atque urgentibus Jesuitis, ut scripsi, non autem supplicantibus Dominicanis, uti narras, instructæ coram Hispanis Questitoribus, causæ cognitionem sibi sumperit Clemens VIII., nemo prudens ibi inficias; si quo facti testes utrinque protulimus, mutuo contulerit. Namque ego, factam rogatu vestro litis hujus translationem, probaturus, Gregorium Coronellum, instituta ad litis examen Congregationis Secretarium, & Franciscum Pegnam, Rotæ Romane Decanum, arcanorum conficium, atque participem, testes adhibui, omni certe, seu personarum, seu temporum rationem habens, exceptione majores; ex quo maxime, quæcumque in illorum Acta ex Innocentii X. decreto objiciebas, eversa sunt. Tu ex adverso, quo factam, nobis flagitantibus, litis evocationem ostendas, nosque idcirco, velut Hispanorum iudicis diffidentes, salibus ludas; non testes, sed adversarios ipsos in testimonium vocas; Sodales scilicet tuos, atque illos etiam, quod ridendum magis, qui, sepulta etiam conditione personæ, sola ætatis ratione habita, ferendi testimonii jure exclusi essent. Joannem Martinez de Ripalda, & Christophorum Orthezam intelligo, Societatis Professores, a te in testes adductos; quorum alter, anno post excitos illos Hispaniæ turbis quadragesimo quinto, alter anno circiter septua-

gesimo, suas nobis fabulas venditarunt, Esti (quod pridem a nobis (1) ostensum est) tam apertis in ea fabula recitanda anachronismis labuntur ambo, tam putidis a se invicem antilogis diffident; ut vel hac sola ratione, tametsi aliæ non suppetent, explodi illorum suffragia, atque exhibitari mereantur.

Id ut probe nosti, hoc coherentes fabulatores conciliare niteris, hoc perbello interpretamento: *Non ita sunt intelligendi, quasi post latam in favorem Molinae Academicarum, Complutensis, ac Seguntinæ sententiam, tunc primum ad Sedem Petri appellatum fuerit*. (quem ego potissimum anachronismum objiciebam.) *Non hoc illi volunt, sed illud duntaxat; ex Lusitano Inquisitionis, & Theologorum Hispanorum, qui librum Molinae pridem ante probaverant, præjudicis, male sibi ornatos Dominicanos Patres maluisse controversiam avocare Romam, quam lato, serenique Hispanorum iudicio acquirere*. Immo hoc ipsum apertissime vult Martinez de Ripalda, quod illum velle, negas, quodque nosti, esse falsissimum. *Molina causam, inquit ille, ad supremum generalem Inquisitionis Hispaniæ Tribunal, ultimo decernendam, retulerunt. . . . Supremus S. Inquisitionis Senatus Censuram Molinae commisit maximis Hispaniæ Theologis, deque ea re Academicis, Complutensem, & Seguntinam consuluit, ac tandem post annum integrum in favorem Molinae sententiam protulit. . . . Interim Afflictae Dominici Bannes, non acquiescentes iudicio Hispanorum, ad supremum Romanæ Inquisitionis Tribunal appellaverunt.* (2) Quo Ripalda loco, tot pene lapsusprehendo, quot verba. In primis enim, id, vel te ipso fatente, compertum est, litis avocationem ab ipsa die 15. Augusti anni 1594., partibus diffidentibus, ex Summi Pontificis jussu, denunciata esse: cum tamen Academicarum iudicia, (quibus inspectis, supremus Hispaniæ Senatus sententiam, a qua fingitur appellatum, pronunciasse dicitur) uno, alteroque post anno lata fuerint; Academicæ videlicet Seguntinæ die 14. Aprilis 1595. Academicæ vero Complutensis die 1. Octobris 1596. Secundo id perinde liquet, Hispaniæ Inquisitionis Senatuum, exceptis Academicarum consultationibus, nullam in conspectu gratiam sententiam protulisse; obstante videlicet Pontificis interdico, quo integram sibi causæ cognitionem adseverat. Tertio, & id certum, ac suo probabitur loco, Academicam Complutensem, ac Seguntinam minus propitia Moliniana doctrinæ suffragia dedisse. Quibus omnibus aberrationibus, ac paralogismis, ad illud tandem, quo cætera tendunt universa, commentum putidissimum viam stravit Martinez de Ripalda, Afflictae Dominici Bannes, non acquiescentes iudicio Hispanorum, ad supremum Romanæ Inquisitionis Tribunal appellasse.

Verum, qui tantam in conciliandis primis illis fabulæ præcentoribus operam ponis, illud omnino rogandus venis, ut cum novissimo, tibi que, ut didici, familiari, & intimo, Questionum Tractatore consentias. Namque tu, interjectam a nobis appellationem, omnino vis, ne Pontificem appellasse putentur tui: ille, nec a nostris, nec a vestris provocatum, ait; sed causam integram ab ipso Rege Catholico, & a supremo Hispaniarum Questitore ad Tribunal Pontificium rejectam, obtendit. *Non ideo, inquit, Romam evocata litis est, quod sibi ab Hispanorum iudicio Jesuitæ male metuerent; sed quod Rex Catholicus, ac summus fidei Questitor, tanti momenti controversiam ab ipso Ecclesiæ Capite dirimendam, existimavit*. Sic tecum belle consentiant fabulatores!

Me-

Melioris fidei testes agnosco, quos Ripalda, & Ortheza subjicis, Joannem Marianam, & Cardinalem Albertum Auliacum: at meliorem in te, in illorum testimonio profereudis, fidem desidero. Mariana quippe verba ex illo ipso Tractatu *De virginis Societatis* in medium profert, quem aut conficium ex integro, aut multis locis corruptum, & interpolatum, paulo antea contendebas. (1) Nempè, ut video, ubi nocere deprehenditur Mariana liber, tanquam conficium omnino, aut certe vitiatus, ad quiescendum amandatur; ubi favore creditur, Sybilla foliis accensetur. Sed nec faret, ut putas. Quod enim ait, Dominicanos, occasione libri Molinae, vehementius effervescentes, ad Inquisitionem recursum, ac inde Romam, per sese ambiguum est; nec interjectam ab illis appellationem aperte significat: cum & Romanam recurere ex æquo deberent, ex quo primum avocatum ad Pontificium Tribunal controversiam inaudire: seu hanc illi avocationem procurassent, Cardinale Auliacum, supremi quondam Lusitanæ Inquisitionis, quam iactas, ad Clementem VIII. Epistola, adulterata, fat multis ostensa est cap. 1. Ac licet que a te illius verba laudantur (*Percepit, eosdem, qui apud me in Lusitania de Opere Molinae detulerunt, modo ad Vestram Beatitudinem recurere*) eundem, ac Mariana periosus, sensum habere possent; in pura tamen, atque genuina ejusdem Epistola desiderantur; earumque loco legendum ista longe diversa: *Cum intellexim, nunc denique examinari, censuravimus coram Vestra Beatitudine propositiones aliquas libri Molinae ab ipsidem, qui in Lusitania veni ad me detulerant, &c.*

Id igitur reliquum est, ut elisis, quæ a te frustra jactantur, interjectæ per Dominicanos appellationis testimonio, integra Gregorio Coronello, & Francisco Pegna, oppositum contestantibus, fides constet. Clariora utriusque verba sunt, quam ut a quoquam eludi possint. *Interim, (inquit Coronellus in brevi Anteaforum Narratione, coram Paulo V., totoque Cardinalium, Præfulum, ac Theologorum consensu facta, die 14. Septembris 1605.) dum, hoc in Hispania agitur, Romæ apud fidei recordationis Clementem VIII. instant Patres Societatis, ut causam ad se advocat, & quid de exorta controversia tenendum sit, designat, parati ejus obtemperare decrevit: quod Sancta Romana Sedes, omnium Ecclesiarum Magistra, & salutaris discipline doctrix sit, ad quam provocare religio est. Annuis illorum precibus Sanctissimus Pontifex, causam ad se advocat, &c.* Pegna vero in I. Narratione de initiis Controversiæ; *Cum intellexisset Molina, causam suam in Hispania vehementer urgeri, ob gravem Censuram, qua jam in Inquisitione contra librum ejus parata erat, precavens, quod verisimiliter eventurum erat, videlicet librum suum prohibitum, & igni traditum iri (sic enim ipsi Inquisitor generalis denunciaverat) statim Romam scripsit, quo Generalis ipsius arte, atque industria, Sanctitas Sua causam ad se advocaret, præcipiens Inquisitori generali, ne eam finiret, aut sententiam ferret.*

Nec modo per vos interjecta est appellatio, sed, quod pariter observavi, tentatum maxime, ut sinistra de Prædicatoribus opinione occuparetur Clementis animus, emendicatis nonnullorum Præfulum amarioribus, ac durioribus in illos Epistolis: quæ tamen, Deo bene vertente, effectu caruerunt. Id a me majori, quam par esset, audacia dictum clamas, atque ad sacræ Dignitatis injuriam; quod non ii fuisse putandi sint Matriten-

sis Aulæ Præfules, qui falsa de Prædicatoribus opinione Pontificem imbuere voluissent. Sic sane reverentiam in Præfules simulas, ubi domesticæ causæ conducit, ne quid humani passi credatur, quo vobis plus justo suffragarentur. At, si id a me sola audacia dictum est, dic, amabo te, qua demum modestia observatum a te fuerit, eas Præfulum Litteras ferius, quam necesse fuerat, perlatas esse, quippe jam Clemens Pontifex, sermonibus præoccupatus Alexandrini Cardinalis, suspitionem hauserat de Jesuitis non bonam, totisque propendebat in partes Dominicanorum? Scilicet audax, ego nimis, quod, ad occupandum Pontificis animum, duriores a nonnullis Præfulibus datas Epistolas, dixerim: tu modestia laudem habes, si Cardinalis Alexandrini sermonibus præoccupatum in Jesuitas Pontificem, dicas, totumque in partes Dominicanorum propendentem. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* (1)

Absit tamen, ut Hispaniæ Aulæ Præfulibus, quorum duriores in Prædicatores Epistolas dixi, Nuntium Apostolicum, supremum fidei Questitorem, ac (quod absurdus esset, mihi que affingere, non vereris) Regem ipsum adnuerim. In his enim Cardinalem Caltrensem duntaxat, & Legionensem Episcopum collocavi; ceteros autem, pacato, ac nullam in partem inclinante animo, suborta dissidia Pontificem monuisse, non semel innui. At tu, quæ summa calliditas est, ne unius, alteriusve Præfulis occupato animo tribuatur, quod duriores in nostros Epistolas dederint, partem scribendi rationem omnibus affinxisti; idque a me ipso agnitum, ne quis dubitet, prædenter asseruisti.

Sed ad alteram tituli partem nos vocas de Scriptis, atque Censuris, a supremo Hispaniarum fidei Questitore ad Summum Pontificem missis. Quocirca Hispani Societatis Theologis a me minus æque obiectum, ais, quod sententiam suam de controversis Questionibus scripto tradere iussi, in impugnanda intima Divinæ Gratiæ efficacia toti fuerint; de Molina vero, ejusque Concordia, quasi ejus occasione controversia mota non esset, ne quidem verbum habuerint: quia, inquis, ex Litteris Nuntii Apostolici, ad Societatis Præpositum datis, die 15. Augusti, perfectum est, nec de libro Molinae univertim, nec speciatim de sententia ejus, fuisse amborum Ordinum rogatum iudicium; sed quid circa gratiam sufficientem, & efficacem, partis utriusque Theologi sentirent, questum unice. Erras, Vir bone, si hoc unum Nuntii Apostolici mandatum nasti. Alterum multo distinctius, ac plura capita complexum, a supremo Questitore denunciatum post dies aliquot, indigitavimus cap. 21. quo questum de Molinae Concordia iudicium constat. Hujus mentionem habet Coroaellus in laudata Aforum Narratione: *Ex res devent, ut de lata Controversia ad Sanctæ Inquisitionis tribunal mutuis se se prædicati Patres censuris lacerarint: adeo ut D. Cardinalis Quiroga, supremus Hispaniæ Inquisitor, habita cause cognitione, compulsus fuerit, etiam de ordine Sedis Apostolicæ, privatim ad aliquos Episcopos, Doctores Theologos, ac etiam ad nonnullas Universitates scribere, & censuras, factas in Librum Concordiæ P. Molinae a Patribus Prædicatoribus, & a P. Molina in Commentaria Magistri Bannes, ad illos mittere; ut quid de præfata Controversia sentirent, scriptis suis consignarent*. Eiusdem dati mandati meminere Prædicatores, ipso statim initio Apologiæ, anno 1595. supremæ Inquisitionis Senatui, ac tum anno 1597. Summo Pontifici da-

ta:

(1) Lib. 1. Hist. cap. 21. (2) Pag. 179.

(1) Pag. 159. (2) Prov. 20.